Bibliotheek
VAN
Mr. C. H. B. BOOT.

156

BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVII 4411
i 4416

Sz C fp V 6s No 10

ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA BALTHASARIS MORETI, M.DC.XXXII.
CVM PRIVILEGIIS CÆSAREO ET REGIO.

BIBL. Z.N. IM.
OSSOLIŃSKICH

XVII - 44 11 - III

VRBANO VIII.
PONTIFICI
MAXIMO.

D sacros pedes Tuos, BEATISSIME PATER, venerabundi deponimus hoc Musarum delicium. Ita enim audemus appellare MATHIÆ CASIMIRI SARBIEVI opus, postquàm id Tibi probari intelleximus. Felix poëta, qui Tibi placere potuit. Nimirum de sæculorum omnium iudicio securus est, qui probatus est Tuo. Quidni ergo Tibi consecretur liber, à quo non minùs, quàm ab auctore,

ctore, alteram quasi vitam ducit? imò qui Tuus est? quia Tuo exemplo, Tuâ in Vrbe, è Tuis potissimùm laudibus natus est, & creuit? nusquam numine plenior, quàm vbi diuinum Tuum spiritum æmulatur; nusquam maiorem laudem meritus, quàm vbi virtutum ac laudum Tuarum famam posteritatis memoriæ commendat. Inuitauit quoque, vt opinamur, Auctorem amor Tuus Orbi notus, quo poëtas antiquorum gloriæ æmulos mirificè complecteris: quo vno cælestem illum Spiritum, in multis alioquin aut sponte languescentem, aut curis oppressum, exsuscitas, & eorum in Te studia animosque incredibiliter accendis. Triumphat profectò, & porrò triumphabit tanto

to Mæcenate Poëſis. Nam quis nunc eam ſpernere audebit, quam vident Maieſtati Tuæ, quâ ad Deum immortalem proximè accedis, in pretio eſſe? quis non admirabitur artem illam, ad quam Tuum illud cælo propè par faſtigium & par dignitati ſapientia ſe demittit? Eximium quid, & diuinum eſſe nulla non ætas fatebitur, quod magni æſtimauerit VRBANVS. Itaque hoc Tuo iudicio Auctori animos addidiſti, vt ſe maior iterum prodiret, & fauoris Tui patrocinio tutus lucem, quam feliciter antè vidit, ſecuriùs denuò aſpiceret. Si faues, quo vultu & animo ſoles, hoc Auctori ſatis eſt.

Sed ignoſces, ſi aliena manus imparem operi frontem præpoſuit, nec

Tuâ Sanctitate ſatis dignam. Non miſerat Auctor dedicationem vnà cum opere typis noſtratibus excudendo; ſed tamen voluntatem nobis ſuam ſignificauerat. Bella interim per Germaniam graſſantia Belgarum cum Polonis commercium penitùs turbauerant. Vrgebat typographus. Quid faceremus? Id auſi ſumus, quod nec Sanctitati Tuæ, nec Auctori ingratum fore ſperauimus.

Patere itaque è triſti bellorum tumultu, quibus tot iam annis infelices Belgæ atterimur, hoc pacis opus in conſpectum Tuum venire; & orbem Chriſtianum diſcordibus armorum motibus miſerabiliter diſſidentem, ad pacem, quod ſtudes, & quietem reuocare perge. Nutus ille Tuus, quem

ſolli-

ſolliciti cum populis Reges intuentur, ſpem noſtram, ſecundùm Deum, ſuſtentat. Sed quónam abripimur? Parce, BEATISSIME PATER; præſentis periculi feralis ſpecies iam oculis oberrans gemitum exprimit. Scilicet vt naufragi ceterarum rerum immemores vndique opem implorant, ita nos pænè iam pereuntes filij amantiſſimum Parentem inuocamus. VRBANVM, inquam, inuocamus: quem nominare non poſſumus, quin gratiſſima melioris ſpei lux mœrentibus protinus oboriatur.

Ceterùm Sarbieuium noſtrum, vel potiùs Tuum, ſi quo ad Te animo venit, admiſeris, & Societatem hanc Tuam à Tuo nutu pendentem, quo ſoles amore dignatus fueris; & illi, & nobis

nobis ad nouos conatus, adijcies ingentes animos, & immortali iterum beneficio, vt sæpiùs aliàs sacra Tibi pectora, in hoc Belgij cladibus suis intabescentis luctu, mirum in modum solaberis. Ita precatur ac vouet

SANCTITATI TVÆ

deuotissima

Societas IESV *Antuerpiæ.*

MATHIÆ CASIMIRI SARBIEVII SOCIETATIS IESV LYRICORVM LIBER PRIMVS.

AD VRBANVM VIII. PONT. OPT. MAX.

ODE I.

Cùm infestæ Thracum copiæ Pannoniâ excessissent.

IAM *minæ sæui cecidère belli:*
Iam profanatis malè pulsa terris
Et Salus, & Pax niueis reuisit
Oppida bigis:
Iam Fides & Fas, & amœna præter
Faustitas læto volat arua curru:
Iam fluunt passim pretiosa largis
Sæcula riuis.
Candidi soles veterisque venæ
Fontibus nati reuocantur Anni:
Grandinat gemmis, riguoque cælum
Depluit auro.

Meque veraci cecinisse plectro
Inter Octobreis, tua festa, pompas,
Prisca Saturni rediisse sæcla,
Approbat orbis.
Aurei patrum niueique mores,
Exul & serâ procul vsque Thule
Candor, & pulchro remeare Virtus
Audet Olympo.
Lactis & fusi per aprica mellis
Garruli campos secuêre riui:
Et superfuso tumuêre plenæ
Nectare ripæ.
Lætior vulgò seges inquietis
Fluctuat culmis, titubantque frugum
Vberes campi, nec auara sulcis
Inuidet æstas.
Pastor erranteis comitatus hœdos
Prouocat raucas calamo cicadas:
Mugiunt colles, & anhela fessis
Silua iuuencis.
Pace subsultant iuga, pace rident
Tetricæ rupes: leue separatos
Otium colleis amat, & sequestri
Gaudia pagi.
Te Ceres flauis redimita culmis,
Magne pacati Moderator orbis,
Te suis Æstas opulenta circum-
fundit aristis.

Sup-

Supplici myrtus tibi ſeruit vmbrâ,
Seruiunt lauri: tibi celſa longè
Quercus aſſurgit, tremuloque pinus
Vertice nutat.
Siderum Præſes, Dominuſque terræ,
Lucidâ Romam ſpeculatus arce,
Regna tranquillet, cupidoque Patrem
Te velit orbi.
Laurus annoſum tibi ſignet ævum:
Fata te norint, properentque Parcæ
Neſcium carpi tibi deſtinatos
Stamen in annos.
Quæque formoſos ſedet inter igneis,
Sedulam pro te miſerata Romam
Virgo, quam circùm glomerantur albis
Aſtra choreis,
Curet effuſas Latij querelas,
Virginum caſtas iuuenumque voces
Curet, & votis procerum reclinem
Accommodet aurem.

AD AVRELIVM LYCVM.

Ne plus æquo de aduersâ fortunâ queratur.

ODE II.

INdignas, LYCE, nænias,
Et mœſtum gemitu pectus, & hiſpidis
Frontem nubibus expedi,
Cùm Sol non ſolito lumine riſerit,

Et fortuna volubilis
Fati difficilem iecerit aleam.
Quod vexant hodie Noti,
Cras lambent hilares æquor Eteſiæ.
Mœſtum Sol hodie caput,
Cras lætum roſeo promet ab æquore.
Alterno redeunt choro
Riſus & Gemitus, & madidis propè
Sicci cum Lacrymis Ioci.
Naſcuntur mediis Gaudia Luctibus.
Sic fatis placitum. ſuis
Tempeſtiua fluunt fata periculis.
Feſſos duxit heri boues,
Dat magnis hodie iura Quiritibus:
Et quæ bobus ademerat,
Imponit Gabiis & Curibus iuga.
Idem Phoſphorus aſpicit
Magnum, quem tenuem viderat Heſperus.
Quòd ſi ſeria ludicris
Fortunæ placeat texere: ruſticus
Heſternam repetet caſam,
Ridentis populi non humilis iocus:
Et queis rexerat omnia,
Findet laurigeris ligna ſecuribus.
Quòd ſi defuerit ſalix,
Faſces pauperibus ſubiiciet focis.

AD

AD VRBANVM VIII. PONT. OPT. MAX.

ODE III.

VRBANE *Regum maxime, maxime*
VRBANE *Vatum, Pegaſeus tibi*
Temo, volaturuſque latè
Regna ſuper populoſque currus
Iam dudum apud me eſt. eripe te ſolo,
Obliuioſis eripe nubibus
Nomenque laudeſque. O Deorum
Concilio, patrioque quondam
Promiſſe cælo! te ſuper inclyta
Terrarum & altas Acroceraunia
Egreſſa nubes, te ſuperni
Colla ſuper humeroſque Pindi
Attollere altè, non ſine numine,
Luctabor. Ibis ſub pedibus pigras
Vrbes relicturuſque gentes,
Attonitæ nouus hoſpes auræ,
Hàc unde vaſti littora Nerei,
Amneſque campoſque & iuga deſuper
Arceſque mirari, & natantes
Oceano numerare terras
Coràm licebit: iam tibi barbarus
Circùm ſupinis collibus annuit
Æmus, ſalutatâque longè
Attremit Acrocorinthus aulâ.

Ter pronus Othrys, ter trepidæ latus
Subsedit Ossæ, ter Rhodope niues
Sacrásve submisêre lauros
Æmathij capita alta Pindi,
Sacerque Phœbo Cynthus, & auiæ
Acuta Cyrrhæ. laurigeris tibi
Thyrsis coronatus Citheron,
Et patulâ nemorosa pinu
Pangæa gaudent brachia frondium
Longè tetendisse, & procul obuios
Currus adorare, & volanti
Ardua supposuisse terga.
Hinc ire pompas, hinc tibi præpetes
Centum superbis ire curulibus
VRBANE *Musas, atque aperto*
Ire sines tua facta cælo.
Auditis? an me ludit amabilis
Imago pompæ? iam videor pios
Audire plausus, & frementes
Cæruleum per inane turmas.
Hinc & tepenti vectus ab Africo
Apum sonoro exercitus agmine
Leni ter VRBANVM *susurro,*
Ter resonis fremuère pennis.
Ter vecta terris ac pelago super
Respondit Echo: ter lituis procul,
Sparsæ ter VRBANVM *Camœnæ*
Pindaricis cecinêre plectris.

Audi-

Audiuit ingens pontus, & insulas
Erexit omnes. ilicet Africæ
Plausêre & Europes, & vnà
Americes Asiæque regna.
Lætæque tandem, currite sæcula,
Dixêre Musæ: Currite candidis
Horæ quadrigis: ite, magni
Sæcula deproperate Menses.
Dixêre Musæ: protinus aurea
Risêre longùm sæcula, sæcula
Auro laborata, & recuso
In pretium emicuêre vultu.

AD CRISPVM LÆVINIVM.

Ne nimiùm adolescentiæ fidat.

ODE IV.

VIue iucundæ metuens iuuentæ
CRISPE LAEVINI: *fugiunt auaræ*
Mensium Lunæ, nimiumque volui
Lubricus æther.
Tu licet multo pretiosus auro
Gemmeâ vestem moderêre zonâ;
Et super collo Tyrias amicet
Fibula lanas:
Iure Phœnissis vaga penna cristis
Stare labenti dubitat galero:
Iure, quo fulges timidum refigi
Palluit aurum.

Quod

Quod tibi largâ dedit hora dextrâ,
Hora furaci rapiet ſiniſtrâ:
More fallentis tenerum iocoſæ
Matris alumnum.
Mobiles rerum dubiiáque caſus
Regna mortalis tenuêre vitæ:
Sedulus metæ, properat fugacis
Impetus æui.
Tardiùs ponto volat Adriano,
Quam ratem merſi pepulêre remi,
Et repentinis animoſa trudunt
Carbaſa ventis.
Omnibus mundi Dominator Horis
Aptat vrgendas per inane pennas:
Pars adhuc nido latet, & futuros
Creſcit in annos.

LAVDES VRBANI VIII. PONT. OPT. MAX.

ODE V.

NVper receptâ bella ſuper Tyro,
Pugnaſque ſerùm ludere diſtuli
VRBANE, *nunc iurata lenem*
Increpuit tibi Muſa buxum.
Per te refiĉto ferro adamantinum
Offulſit auro ſæculum, & vndique
Gazis coronatumque gemmis,
Purpureo reuireſcit æuo.

Quo

Quo fœta quondam nectare flumina,
Vltróque ſeptem balſama collibus
Manare, vinóve & liquenti
Melle vagos properare riuos,
Et ſpontè ſero veſpere turgidas
Ad ſepta narrant lanigerum pecus
Mammas reportare, & comatum
Aſſyrio graue vellus auro.
Te Fas, Piumque, & Iuſtitiæ comes,
Vtcumque ſacrum lætus agis pedem,
Candor coronat; Te fidelis
Propoſiti ſtudioſa Virtus.
Te ponè flauo larga Ceres ſinu,
Rerumque plenis non ſine cornibus
Felix Amalthee citatis
Rura ſubit populoſque bigis.
At Vis, & ater Luctus, & æneis
Stipata centum Bella furoribus,
Curæque, pallenteſque Morbi, &
Fœda modis ſimulacra miris
Ceſſêre retrò. Te duce Fauſtitas
Secura frugum rura perambulat,
Tutæque per vaſti tumultus
Carpathij volitant carinæ.
Te feriati cum pueris ſenes,
Nec non recluſæ cum nuribus canunt
Regem puellæ: ſiue reddit,
Siue citum rapit hora ſolem.

At nos recuruo poplite per vias
Patrem colentes, ter niueum Tibi
Nimbum liguſtri, ter roſarum
Puniceum iaciemus imbrem.

AD PRINCIPES EVROPÆ, De recuperando Orientis Imperio.

ODE VI.

NOndum minaci cornua Boſphoro
Decuſit audax Pontus, & efferis
Seruire Neptunus Gelonis
Turpè gemit; reſonaſque fluctu
Plangente ripas Thraca rebellibus
Immugit vndis: Æmathiam pudet
Frænos momordiſſe, & Pelaſgos
Odryſiis dare colla loris.
Mœrent tenaci compede Cyclades
Pigræ moueri: mœret Achaica
Tethys, inæqualeſque campi
Perpetuo lacrymantur Hebro.
Sempérne nigras Æthiopum domos,
Vel, quæ ſuperbus præfluit oppida
Ganges, Abydenaſque turreis
Supplicibus tremuiſſe pinnis
Formidoloſam iuuerit Artacen?
Seſéque captum Boſphorus omnibus
Vndis, Erythræóque, & alto
Ionio, Arabióque ploret?

Vani

Vani futuri temporis augures
Fecunda rerum ſæcula diſcimus;
Si non retractamus fideli
Tela manu, tacitoque gaudet
Vagina ferro: ſi clypei vacant,
Haſtæque, & arcus; non animi placent
Parci laborum, non magiſtræ
Conſilij, ſine Marte, linguæ.
Fruſtrà Nouembreis dicimus ad focos
Pugnata Rhætis bella ſub Alpibus:
Fruſtrà renarramus Gelonum
Verſa retrò retuliſſe ſigna:
Si non & ipſi ſtringere Noricos
Audemus enſes; quos malè barbara
Non decolorauêre terga,
Sed Tyrio Latiale ſuco
Illeuit aurum, non ſine gemmeo
Circumſonantis fulgure balthei, &
Grato catenarum tumultu,
Et ſonitu phalerarum acuto.
Formoſa fortes arma timent viros,
Frangique nolent, ſeu profugus Scythes,
Seu creber è campis agetur
Myrmidonum Dolopumque nimbus.
Quicumque ſuras & caput induet
Auro, Quirites; exuet ſtalum,
Ciuiſque Romanus negari
Impauido patietur hoſti.

Nec qui capillum finget, & aureum
Solem refusis crinibus allinet,
Dicemus Umbrum, qui frementeis
Antiochi Annibalisque turmas
Rursum efficaci diruat impetu,
Alpesque, clausumque intrepidâ manu
Perrumpat orbem. Sic citatis
Sæcula degenerare metis
Sancit futuri temporis Arbiter;
Certoque prudens ordine segreges
Metatur annos. Nunc seueris
Artibus, ingenioque pugnax
Affulget ætas, nunc melior foro
Gestit disertis feruere iurgiis.
Hæc Thracas, audacemque Bessum,
Hæc Cilicas, pauidosque Seras
Produxit ætas. Nos senio piger
Effudit Orbis, dedecus vltimum
Mundi, fatiscentisque naturæ
Opprobrium. Malè nata proles,
Quidquid bonorum restitit (heu nefas!)
Morum, scelestâ deterimus notâ,
Mentisque, & excelsi latrones
Ingenij, violenta fraudum
Tormenta, sanctis addere dotibus
Laudamur vltrò: nec scelerum pudet;
Virtusque clamatur sagacem
Flagitio violare dextram.

Iras

Iræs & enſes vendimus, & manum,
Hac, vnde nummis aura refulſerit:
Sparſíque tinnitus ad auri
Sollicitâ vacat aure vulgus.
Et quà ſecundis iecit honoribus
Benè ominatam mobilis aleam
Fortuna, mentitur caducæ
Plebis honos, poſitoque fallax
Accumbit omnis poplite ciuitas,
Periura feſto ſurgere cum ioco,
Cùm pompa ſtipantûm, & doloſi
Præteriit breue fulgur auri.

AD TELEPHVM LYCVM.

Fortunæ rerumque humanarum inconſtantiam accuſat.

ODE VII.

EHeu, TELEPHE, ludimur;
Fortunæ volucri ludimur impetu!
Æternum nihil eſt, ſacro
Quidquid lenta tulit materies ſinu.
Statur caſibus. Occidet
Quod ſurgit: ſed adhuc ſurget, & occidet:
Ritu præcipitis pilæ,
Quæ cùm pulſa cauâ reiicitur manu,
Nunc lenes ſecat Africos,
Nunc terræ refugis abſilit ictibus.

BIBL. Z.N.IM. OSSOLINSKICH

Vesper vespere truditur;
Sed nunc deterior, nunc melior subit.
Anni nubibus insident,
Incertis equitant Lustra Fauoniis,
Cæco Sæcula turbine.
Hæc, quam Pieriâ decipimus lyrâ,
Iuncto fulminis essedo,
Eheu, quàm celeres Hora quatit Notos,
Nec gratæ strepitum lyræ,
Nec curat miseræ carmina tibiæ:
Et quamquam canitur leuis,
Sese tota suis laudibus inuidet.
Magnas interea rapit
Vrbesque, & populos & miserabili,
Reges subruit impetu:
Et sceptri decus, & regna cadentium
Permiscet cineri Ducum,
Auratasque trabes & penetralia,
Et ciues simul & super
Euersis sepelit turribus oppida:
Ac mundi procul arduas
Stragesque & cumulos, ac Procerum pyras
Festâ nube superuolat;
Stellarumque rotam, & longa breuissimo
Cursu sæcula corripit.
Dum nobis taciti diffugiunt Dies
Eheu, TELEPHE, *ludimur,*
Fatorum rapidâ ludimur orbitâ.

An nos fallimur? an ſuam
Rerum pulcher habet vultus imaginem,
Et ſunt quæ, LYCE, cernimus?
An peccant fatuis lumina palpebris,
Et mendax oculi vitrum?
An longi trahitur fabula ſomnij?

Sæculi noſtri ſocordiam perſequitur.

ODE VIII.

AVt nos auaræ vendidimus Tyro,
Aut vſque Thulen miſimus exules
Cultus auorum. non honoris
Præcipiti libet ire cliuo:
Non ſceptra Pyrrhi, non Agamemnonis
Leto paciſci: non Alyattici
Veiente permutare ſaxo
Vber, Achæmeniumque Tigrim.
Neſcit ſeuero liuida brachia
Signare ferro, neſcit idoneis
Tyro reluctantem lupatis
Frangere equum, metuitque toruum
Tranare Lirim, cùm niuibus ſatur
Exæſtuanti fræna licentiæ
Permiſit, emouitque ripam
Aßiduæ metuendus Vrbi:
Quòd ſi procacem fregit equus gradum,
Micatque neruis, & genibus tremit:

At non Lupercales iisdem
Nescius assimulare saltus,
Et cùm peritum sistra citant pedem,
Doctus choreæ. Frangite barbita,
Neruosque, dementémq; buxum
Femineo prohibete cantu.
Auditis? Istri littora personat
Ferale cornu. iam capita Alpium
Magnæque respondêre montes
Ausoniæ. nouat arma Mauors,
Vrbeisque tectis elicit. ibimus?
An nos Caleno mensa tenet mero,
Cœnæque regnorum redemptæ
Diuitiis, populique censu?
Quas cùm recedens viderit Hesperus,
Surgens easdem Phosphorus aspicit;
Et ridet aspecto renidens
Luna mero, radiosque tingit,
Dum nos Lyæo regificis super
Descripta mensis prælia pingimus,
Fusóque metamur Falerno
Mœnia, diluimusque fossas.
Surgamus. Indo lutea Nereo
Sublucet Eos: iam radiantium
Flatus quadrigarum, & citatæ
Oceanum pepulêre plantæ.
Surgamus. omnes prima vocat dies,
Et Phœbus: at non noster ab Indis

Phœbus,

Phœbus, Quirites, nec Latino
Orta dies famulatur orbi,
Totumq; diris manè Othomanidis
Impendit æther. prô pudor! Occidens
Nobis, fatigatusq; tantùm
Heſperium prope Phœbus axem
Turpi Latinis veſpere ſeruiet?
Surgamus: Oetam Gadibus & Paron
Addamus, Auroramque nocti, &
Bactra Tago, Tiberique Gangem.

AD NICOLAVM VEIERVM PALATINI CVLMENSIS FILIVM. ODE IX.

IBis, belligeræ regna Poloniæ
Et gratæ repetes limina Patriæ:
Quæ te voce diu, quæ prece flagitat
Paßis obuia brachiis.
Ceu quem veliuolis præpes Eteſiis
Nauis diuitibus diſtinet inſulis
Dilectum iuuenem, quem modò barbara
Auri corripuit fames,
Mater ſollicito ſpectat ab æquore,
Et lentum pelagi damnat Oriona,
Et ventos gemitu duplicat, & pigro
Affundit lacrymas mari:

Si fors edomito fletibus Æolo
Indo sole niger filius aduolet,
Et longi memores exilij notas
Caris deleat osculis.
At tu nec studio mercis idoneus,
Infamisque lucri, nec sitiens opum,
Quas septemgeminis prodigus ostiis
Aut Ganges vomit, aut Tagus,
Inuises patrium limen, amantior
Insignes animi quærere copias,
Et vi consilij promptus, & vbere
Venâ diuitis ingenî.
Te rerum sapiens vsus, & imperî,
Te felix operum spiritus addecet,
Et vox se populo fundere largior
Plenæ flumine copiæ.
Fortunæ volucrem mitte licentiam:
Hoc appone lucro, quod tuleris simul
Quò te cumque feres: seu per inhospita
Rauci littora Bosphori,
Et captum niueâ compede Nereum:
Seu pacis dubios Thracas, & asperum
Persen, seu refugum visere Concanum
Legatus properaueris:
Virtutem solidi pectoris hospitam
Idem portat equus, qui dominum, neque
Aut campo melior ponè perambulat,
Aut mensæ comes assidet.

Illam

Illam cana Fides, nudáque Veritas,
Et ferrugineæ plebe Pecuniæ
Circumfusus Honor, & sequitur propè
Albis Fama iugalibus.

LAVDES VRBANI VIII. PONT. OPT. MAX. ODE X.

NOn solus olim præpes Horatius
Ibit biformis per liquidum æthera
Vates: olorinisve latè
Cantibus, Æolióve terras
Temnet volatu. me quoque desides
Tranare nimbos, me Zephyris super
Impunè pendere, & sereno
Calliope dedit ire cælo,
Et quà licebit nubibus & sacrum
Vulgare cælo carmen, eburneam
Lyramque suspendens, tubamque
Colla super, niueisque læues
Plumis lacertos. me nec inhospita
Sistent oborti littora Nerei,
Rupésve inaccessæ ferarum, aut
Verticibus scopulorum acutis
Armata Tethys. me iuga Caucasi,
Me canus Atlas, me mare barbarum,
Lateque deiectis vterque
Audiet Oceanus procellis.

Vt se quieto cuncta silentio
Strauêre latè! Pieriæ simul
Fontes Amymonæ, & canoris
In numerum cecidêre lymphis
Doctùm fluentis murmura Penei,
Sacroque Nisæ è vertice tympana,
Lyræque, buxique, & remista
Cum lituis citharisque plectra
Fregêre nubes. Hinc tibi Gloria
Latè per orbem differet aureum
VRBANE *nomen: quà coruscо*
Concutitur Iouis aula curru,
Septemque sese sideribus pigrum
Euoluit æuum. protinus vltimis
Afris, coronatisque Serum
Mœnibus, Oceanoque rubro
Noscêre magnus. iam tibi tinnulus
Fert sistra Nilus, iam Berecynthia
Curetes æra, iam frementes
Rauca crepant Corybantes arma.
Te Vaticanis Maurus & Æthiops
Affusus aris, te tepidi canunt
Deuexa mundi, te remotæ
Littora personuêre Chrysæ:
Magnusque latè diceris arbiter
Cælumque, Terrasque, & Maria, & Styga,
Amnemque Cocyti seuerum, &
Elysiam cohibere Lethen.

Tibi

Tibi (benignæ si qua fides spei)
Sternentur olim magnanimæ ad pedes
Gentesque Regesque. ô caduci
Præsidium, columenque mundi,
Iam nunc labantis pondera sæculi, &
Deprælliantûm funera Principum,
Pronasque Regnorum ruinas
Consilioque humerisque siste.
Tardum sereni partibus ætheris
Te Sidus addas; neu properes citus
Mensis reclinari, & fauentûm
Ambrosiæ accubuisse Diuûm.
Serò receptum Roma fleat Patrem,
Tuisque longùm viuere moribus
Possint Quirites, possit ingens
Curia, purpureique Patres:
Diuque gaudens, & cupidus tibi
Incumbat orbis: certus ames Remi
Vrbemque, prolemque: ac merenti
Quamquam auidus tibi debet æther,
Reposce Diuos præmia lentior,
Paullumque differ sidera, dum Tagum,
Dum Bætin, vndantemque bello
Eridanum, Ligerimque places:
Dum fracta septem cornua montibus
Submittat Hebrus, dum tibi Thessalum
Ducat catenatus Tyrannum in
Perniciem, opprobriumque fastus.

Iam tum tropæis & ſenio grauem
Aurata ſtellarum ad Capitolia
Longis reuertentem triumphis
Signiferæ vehat axis aulæ.
Quò Muſa vatem, non memor Icari,
Tollis relapſurum? his potiùs grauem
Depone ripis, & doloſas
Deme humeris digitiſque plumas:
Tybrimque propter ducere languidos
Permitte ſomnos: & ſuper ilice
Lyramque pendentemque buxum
Ambiguis fluitare ramis.

AD STEPHANVM PACIVM MAGNI DVCATVS LITHVANIÆ SVPREMVM THESAVRI PRÆFECTVM.

Equeſtris elegantiæ iactantiam reprehendit.

ODE XI.

NOn auro, neque tinnulis
Pugnandum phaleris. & chlamydum ſinus
Et nodos, & inutiles
Gemmas belligeris demite brachiis.
Quid læuem galeam iuuat
Plumarum volucrem ferre ſuperbiam?
Cur ſparſas agitat iubas,
Et conus tremulis annuit Africis?
Cur tectum pauidam caput
Ementitur auem, cùm leue ſibilis

Aura-

Aurarum, & Zephyri ioco
Furtum Mygdoniæ proditur alitis?
Iam grando chalybum imminet,
Telorumque frequens aura volantium
Imbelli galeæ insonat:
Iam Martis tonitru mugit, & obuium
Medi fulgur acinacis.
Quid prosunt phaleræ? quid galeæ iubar?
Quid lætæ Zephyris comæ?
Aut vmbo clypei quòd procul æmulis
Lucem solibus inuidet?
Quid vultus nimiùm sedulus adspici?
Quid pictus pharetræ timor?
Aurum frenigerâ reiice dexterâ:
Ferro res eget & manu,
Et magnis animis: hæc tuleris tria,
Dicam Geryoni parem,
Quem nec populifer proruat Hercules,
Nec cælo nimius Mimas,
Nec durâ Idomeneus, aut Sthenelus manu.
Bellis adsit idonea
Incomptæ facies lege ferociæ,
Quam fuci decor abstinens,
Lasciuæque carens forma proteruiæ,
Et ferri memores genæ,
Hesternique notent vulnera prælij.
Cristæ non facient virum,
Non arguta suis colla coralliis.

Tho-

Thoracas Pauor & Metus
Dicuntur Siculis fingere malleis,
Et primi ſcopulis ſuper
Procudiſſe vagis ſcuta Cydoniis.
Nos ſtultum tegimur caput,
Et leto tenues obiicimus moras.
At quos eruerit ſibi
Directis oculos inuida ſpiculis
Mors affingere creditur.
Fatis mille loci, mille patent viæ:
Sed ſignat iaculis locum,
Qui vultum ſubitis dimouet ictibus,
Deuotumque mori latus
Obiectu tremulæ protegit ægidis.
Nudos bella pauent viros.
Audentes animos ipſa volunt propè
Declinare pericula.
Cùm conſanguineæ ferrea Græciæ
Hector rumperet agmina,
Toruis ſæpè genis turbidus obuios
Fati terruit impetus.
Quos fortuna timet, vitat, & acrium
Differt prælia mentium;
Et mors ſæpè viris inuidet auream
Famæ pandere ſemitam.
Quòd ſi belligerâ ceſſeris orbitâ
Poſt te fata citaueris,
Oſtendeſque neci, quâ fugies, viam.

AD

AD PRINCIPES ROMANI IMPERII.

De recuperandis Græciæ Prouinciis.

ODE XII.

AT non ſupino ſemper in otio
Perdemus æuum. Surgite Dardani
Ciues, triumphatumque captis
Imperium reparate Graiis.
Implete claſſeis, tendite carbaſa,
Inſerte remos, ite volentibus
Fatis Quirites: ite: ventis
Veſtra tument animiſque vela.
Eſt, qui locantem bella pecuniam,
Nouiſque rebus poſtulet vtilem
Neruum. quis erumpentis auri
Fluxit ager potiore venâ
Cuniculoſi montibus Orici?
Ferro, Quirites, ſi lubet, abditum
Mercemur aurum. qui vibrati
Glandibus emeruiſſe plumbi
Gazas potentûm ſciuerit vrbium,
Hic magna paruo lucra parauerit
Sumptu. nec exponetur aurum,
Nec Tyriæ Cypriæve merces,
Quas non cruentus Martis emat chalybs,
Seu per reluctantum agmina Biſtonum,
Et per recedentes Gelonos
Vulnifico pluit aura nimbo:

Seu fulminatis diruta molibus
Caſtella denſis bella tonitruis
Emoliuntur, cùm caduco
Mœnia concutientur igni,
Capiſque verſis turribus annuent
Arces, & omnis copia, & obice
Centum catenarum gementes
Diuitiæ pediciſque ferri.
Iam pænè gazis Bactra timent ſuis,
Iam diues Aule. iam Cythereïæ
Conchæ, Mycenæiſque cenſus,
Et Tyros, & Genoëſſa flauo
Palleſcit auro. iam propè decolor
Albet ſuperbis Creta coralliis;
Phthieque, & interfuſa Cypros,
Ditibus ingemuêre ripis.
Eſt, quem comantum gratia montium,
Aut floridorum tangit amœnior
Vultus viretorum, vel vda
Mobilibus Cynoſura riuis?
Hunc empta multo ſanguine recreent
Tempe, vel acri Pelion aut Samos
Aſſerta bello, vel virentis
Silua Cragi, vel opaca leni
Pangæa quercu: nec viridem Gnidon,
Altamque Dymen ſpreuerit, aut retrò
Spiſſis coronatam ſalictis
Olenon, vmbriferamque Tricen.

Non

Non lympha Cydni, non vitreus Meles,
Leníſve puro Lydius agmine,
Non mite cryſtallum Lycormæ,
Non gelidis Araſinus vndis
Deſiderantem non benè lubrico
Soletur amni, ſi modò bellicâ
E ſtrage fumanteis capillos,
Et tepidus linat ora puluis.
Eſt qui ſupinâ certet amyſtide
Obliuioſum ducere Liberum?
Hunc Leſbos, hunc vinoſa Crete,
Hunc Paphij rogat ora Cypri
Laxare ferrum. nec Rhodos abnuit,
Nec, non ſeueri ſtrenua Cæcubi
Naxos; nec illaudata Thrachin,
Aut reſides Amathuntis arces
Nolent cruentis ictibus aſſeri:
Aut qui propinquis æthera rupibus
Affectat Edon, aut maritus
Vitiferis Aracynthus vlmis.
Eſt cui ſupellex, & vigil ignibus
Riſit caminus, cui pecorum placent
Armenta, cui latè reductus
Hinnit ager, fluuijque balant,
Cantu ſonori blandiùs Orphei?
Illum iuuencis poſtulat hoſpita
Pleuros, Cleonæique colles,
Et pecorum ſtudioſa Thræzen;

Cæáque valles, vel Calydoniæ
Dumeta ſiluæ, vel redeuntibus
Saltata Gortyne capellis,
Cùm roſeus tegit arua veſper.
Si quis virenti limina marmore,
Saxoque poſtes, & laquearia, &
Fingat pauimentum: Caryſton
Et variam Salamina, iuſtis
Repoſcat armis. huic Phrygium propè
Baccata longis Attica collibus
Deſcendet in tectum, & videndæ
Porticus adiicietur aulæ.

AD TARQVINIVM LAVINVM.

ODE XIII.

NOn ſi ſol ſemel occidit,
Non rubris iterùm ſurget ab Indiis;
Nec ſi quos celeris rotæ
Sors non exiguo proruit impetu,
Non lapſos iterùm leuet,
Arguto docilis ludere cum ioco.
Ne ſpem proïjce, TARQVINI:
Cuius pænè retrò lambere pulueremEt veſtigia diceris,
Cùm fortuna leuem verterit orbitam,
Effuſam ſuper & luto
Fumantem poteris cernere purpuram.

Tunc

Tunc & risibus abstine,
Neu turpi domino lumina paueris:
Neu calces nimiùm, memor
Fortunæ geminam sæpè iaci pilam.

AD IVLIVM FLORVM.

Curam Lyncei adolescentis illi commendat.

ODE XIV.

NVllus effrænæ rabiem iuuentæ
Æstus Ætnæi superet camini:
Nulla conceptos iaculantis igneis
Ira Veseui.
Crescit infestis animosus ausis
Ardor, & primæ iuuenile vitæ
Robur aduersum sibi luctuosis
Dissidet armis.
Sic vbi densis Aquilo procellis
Bella montanis meditatur Euris,
Et potens igni Notus, & sonorus
Imbribus æther,
Hinc repentinos struit aura monteis,
Inde bacchantum patiens procellarum
Ingemit littus, resonumque saxis
Tunditur æquor:
Feruet hinc illinc inimica Tethys:
Pacis incertus, dubiusque belli
Fluctuat pontus, cui militares
Instruat vndas.

Mollior læsi tamen ira ponti,
Lenior motis Aquilo procellis,
Puberum, IVLI, *quatiente cæcas*
Turbine mentes.
Hîc vbi pugnax equitauit Auster,
Incitæ remis volitant carinæ,
Quas leues auræ, faciliſque veli
Trudit Iapyx:
Quæ ſemel certo metuendus arcu
Fixit, aut recti timor, aut cupido,
Rara pacatis agitata ſidunt
Pectora curis.
Fortiùs pugnes iuuenum domando
Spiritu, quàm ſi iuga feriatis
Induas tauris, vel equina Pæno
Fræna leoni.
Jure florentes moderaris annos
Lyncei: duris meritò lupatis
Corripis frænum, ſpatijque parcum
Flectis ephebum.

AD EQVITES POLONOS,

Cùm LADISLAVS Poloniæ Princeps, fuſo Oſmano Turcarum Imperatore, victorem exercitum in hiberna reduceret.

ODE XV.

Credetis? io credite poſteri
Fractos pudendo Biſtonas impetu

Ceſſiſſe,

Cessisse, & infaustis redemptam
Funeribus pepigisse pacem:
Quis tunc recenteis Odrysiis timor
Affixit alas, cùm refugas metu
Præ se LADISLAVS *phalangas*
Fulmineis agitaret armis!
Quantus Gelonis, quantus erat feris
Sudor Corallis, cùm propè decolor
Ister, verecundusque captâ
Bosphorus erubuisset vndâ!
Cùm versa Thracum parma trementibus
Fronderet hastis, cùm celer Artacen,
Turreisque Byzanti probrosis
Concanus assonuisset armis.
An nos repensam sanguine gloriam
Frustrà futuris emimus? an suos
Exempla diffingent nepotem
In proauos, similemque patri
Gnatum reponent? quatenus (heu pudor!)
Peior nefastis progenies auis
Succreuit, & damnosa pulchras
Sæcula diminuêre vireis.
Vel nos auitæ stemmata gloriæ,
Curruſque, & enſes, nuper & hosticis
Direpta delubris tropæa,
Æmoniæ monumenta pugnæ,
Vramus igni; neu pudeat sacros
Mentita vultus frangere marmora,

Non

Non æra, fumoſaſque patrum
Effigies, memoreſque laudum
Ceras, profundo mergere Viſtulâ;
Vel, ſi ſupinæ tædet inertiæ,
Martemque maiorumque pugnas
Egregiis iterare factis
Iuremus. O quem Gloria feruidis
Vrbeiſque terraſque & populos ſuper
Euexit alis, ô caduci
Grande decus columenque mundi,
Pridem Geloni ſobria ſanguinis
Rurſum Polonis deripe poſtibus
Et tela, Princeps, & timenda
Edoniis refer arma ſignis.

Temporum noſtrorum ignauiam reprehendit.

ODE XVI.

MErcuri, nam te citharæ potentem
Viuido manes reparare cantu
Furua Cocyti ſtupuêre preſſis
Stagna fluentis.
Tuque Leſbóos imitata neruos
Muſa, Dircæum modulare carmen,
Quo Palatini reuocetur Orco
Turba Quirini.
Ite pugnaces Priami nepotes,
Pulcher Anchiſæ Veneriſque ſanguis,

Ite,

Ite, formosas Acherontis, ite,
Linquite ripas.
Quid iuuat nigras habitare valleis,
Ferreum leto simulante somnum?
Quid iuuat subter sepelire magna
Sæcula terrâ?
Te Mari torui reuocant Sicambri:
Te pharetratæ Nomadum cateruæ,
Te Numantini metuende poscunt
Scipio campi.
Æreis rursum fluitare turmis
Visa Carthago, peditumque nimbos,
Et Saguntinis, Siculisque bellum
Affundere portis.
Surge: non audis strepitum, & sonorum
Agmen, & tractas per humum catenas?
Non vides, quantam nouus ecce surgit
Pœnus in hastam?
Magna te poscunt Asiæ sepulchra
Magne Pompeï. Tibi Cæsar olim
Thraces, & ferrum, manicasque, & ignem, &
Tela minantur.
Bactra iam motis tremuêre castris,
Martio nubes feriente cornu;
Iam minæ tristes equitum, & frementum
Hinnitus equorum.
Surge: quâ dormis, quatit acer vrnam
Vngulâ Medus: potes hoc sepulchro

Eſſe ſecurè piger, aut honeſtos
Carpere ſomnos?
Ite, felices iterate pugnas,
Ite Romani. iuuet arma notis
Poſtibus demi, ſolitoque frontem
Aſſurgere cono.
Bella nos pictis ſimulamus armis,
Splendidè fortes, & inane pugnæ
Nomen, & docti vacuum duellis
Ludere Martem.
Fortium cingi galeis auorum
(Prô pudor!) ſeri fugimus nepotes,
Heu peregrinis oneraſſe fortes
Tempora gemmis!
Parua non magnam manus implet haſtam,
Defluunt grandes humeris pharetræ:
Decidunt arcus, laterique iniquus
Exprobrat enſis.
Priſca mutatæ pudet arma dextræ:
Patrius quondam malè laxus hæret
Filio thorax, nec auita norunt
Tela nepotem.

Animi lenitate Principes maximè commendari.

ODE XVII.

NOn viui paries vitri,
Cryſtallique fores, aut Mareoticis

Aurum

Aurum postibus illitum,
Laudandum memori carmine Principem
Clarabit, neque barbaras
Decidet tumulo gloria laureas;
Sed frons mitior aspici,
Innubiáque nitens ore meridies,
Et qui sospitat omnia
Irati vacuus nube supercilî,
Primo gratior Hespero
Formosus roseâ vultus in Iride.
Regum vultus imagine
Regnorum legitur. pandite lumina, & Vultum pandite Principes:
Iam vultum, & populi lumina vidimus.
Irasci populum docet,
Qui toruis nebulam nutibus addidit:
Idem supplicij piger
Maturis faciem risibus explicet,
Cædesque, & populi graues
Iras, & procerum prælia, & asperas
Regum contuderit minas.
Vulgus bella fremat: te nihil attinet
Fœdo turbida nubilo
Mutari pauidis ora coloribus.
Veris ianitor aureus,
Qui campis liquidi pascitur ætheris
Stellatis Aries comis,
Picti rura poli frænat, & arbiter

Mundi prata perambulat:
Fræque, & placidi lenior imperî
Vrsis præsidet, & lupis;
Demitque, & dominis cornibus annuit
Toruis iura leonibus,
Castigare vagos acer, & igneis
Mundi cogere sepibus.
Vultur degenerum parcior vnguium
Albis parcit oloribus;
Compescit volucrem Bellerophon equum:
Nusquam monstra vagantia
Chiron Æmoniâ figit arundine:
Colludit geminis Leo, &
Taurum supplicibus conciliat iubis:
Nusquam sidera mugiunt,
Aut latrat Procyon, aut Libyco duplex
Rugitu reboat polus.
Labuntur tacito summa silentio:
Tranquillæque tacent rotæ,
Dum currus vigilum voluitur ignium.
Tantùm lanigeræ facis
Balatu resonat mundus amabili,
Rixâque, & strepitu vacat;
Et se mundus amans, ipse sui propè
Viuis lucet amoribus:
Naturæque vterum, & parturientia
Zonâ sidera subligat:
Hanc flexis Aries cornibus inchoat,

Rerum

Rerum nobile vinculum, &
Coniunx ſigniferi fibula balthei.

AD DIVAM ELISABETHAM, Dum inter Diuos ab VRBANO VIII. PONT. OPT. MAX. referretur.

ODE XVIII.

DIua, deuexo dominata ponto,
Cuius vndoſæ meminêre Gades,
Cui Tagus ſeruit, liquidóque rura
Præfluit auro.
Pauperes olim coluiſſe ſedes
Læta, nunc magnas habitare ſtellas,
Inter & gyros, & euntis inter
Sidera mundi,
Dum tibi Medæ pretioſa ſiluæ
Damna, per Thuſcas adolemus aras,
Thureo Regem, populíque celes
Crimina fumo.

Ad cæleſtem adſpirat patriam.

ODE XIX.

VRit me patriæ decor,
Vrit conſpicuis peruigil ignibus
Stellati tholus ætheris;
Et lunæ tenerum lumen, & aureis
Fixæ lampades atriis.
O noctis choreas, & teretem ſequi

Iuratæ thyasum faces!
O pulcher patriæ vultus, & ignei
Dulces excubiæ poli!
Cur me stelliferi luminis hospitem,
Cur, heu! cur nimiùm diu
Cælo sepositum cernitis exsulem?
Hîc canum mihi cespitem,
Hîc albis tumulum sternite liliis,
Fulgentis pueri domus.
Hîc leti pedicas exuor, & meo
Secernor cineri cinis.
Hîc lenti spolium ponite corporis,
Et quidquid superest mei;
Immensum reliquus tollor in æthera.

AD PRINCIPES ITALIÆ.

De recuperando Orientis Imperio.

ODE XX.

PVlchro, Quirites, puluere gaudeat
Impubis ætas, & strepitum, & minas
Iam nunc, & audaces tumultus
De tenero meditetur vngui:
Visóque primùm sanguine gestiat
Inter cadentum signa, neque eligat
Quo lassa post pugnam, reclinet
Colla toro, solidisque somnum
Commendet armis, aut clypeo super
Effusus, aut se cespitis explicet

Per

Per ſumma, non parcus iuuentæ,
Et decorum pretioſus emptor.
Hoc ſeptus olim milite, Biſtonum
Vallata ſaxo diruit oppida
Regnator Epiri, & timendus
Parrhaſiæ moderator oræ.
Heu quantus armis, quantus adeſt equis,
Quantuſque ſudor depopulantibus
Pangæa Dacis, cùm refuſi
Ferrea diluuies Gradiui
Tumultuoſi turbinè prælij
Concuſſit Æmum: cùm Rhodopen propè,
Sacriſque LADISLAVS *armis*
Attonitum patefecit Hebrum,
Et bellicoſum Strymona vindice
Turbauit haſtâ, qui calidas adhuc
Strages Gelonorum, & natantûm
Scuta virûm, galeaſque voluit.
Magnum illa terris intulerat metum,
Præceps ahenas rumpere copias,
Taboque fumanteis & igni
Auſa cohors operire campos.
Si non honeſti læta periculi,
Bellique metas rumpere pertinax,
Egiſſet armorum cupido
Non humiles iterare pugnas:
Manes auorum quis benè proſperis
Excuſet armis? quæ manus impigrum

Leti

Leti Muſurmannum paternis
Immolet inferias ſepulchris;
Quæ nunc (pudendum) illudere peruicax
Perſultat armentum, & miſerabiles
Delent peremptorum ruinas
Hinnulei, timidæque damæ?
Eheu cicatricum Heſperiam pudet,
Et mollis oti, & turpis inertiæ,
Iræque, quæ procudit arma
Immeritis inimica regnis!
Quiſquámne tandem (dicite poſteri)
Vlturus Vrbis nomen & Imperî
Affulget enſis, atque ab vllo
Scuta tholo galeæque pendent?
An (quod vereri crediderim nefas)
Futurus enſis Dardanios adhuc
Proſcindit agros, aut Latina
Arua metit, virideſque ſiluis
Frondent ſagittæ? non ego Romulam
Damnabo pubem veridicus ſacri
Vates Gradiui. iam cruento
Sparſa mari fluitare tela,
Videre totis iam videor Thetin
Pugnare remis, iam Latiæ procul
Turmæ, repercußâque circùm
Æra micant galeæque lymphâ;
Iam plana Triton perſonat æquora
Clangente cornu: iam video nouas

Latè

Latè per Ægeum moueri
Cycladas, Æmoniamque longè
Inauspicato sidere lugubrem
Mœrere Lunam: iam profugæ retro-
cedunt Tyrannorum phalanges,
Pænè metu glaciante Pontum.

AD VRBANVM VIII. PONT. OPT. MAX.

ODE XXI.

PONe surgentes super orbe curas,
Magne pacati Moderator orbis;
Mitte Threïssas calidâ phalangas
Feruere rixâ.
Mugiant cano, sine, bella ponto,
Cùm procellosos struit aura monteis,
Cùm gemunt cautes, refugâque Calpe
Vapulat vndâ.
Regna Rhæteis resonant triumphis,
Rumor auratâ volitans quadrigâ
Grata demittit benè feriatis
Omina terris.
Occidit iustæ reus hostis iræ,
Hostis hibernæ dominator oræ,
Quà coronatis sinuantur altæ
Turribus Alpes.
Quà niuis latè, saturaque flauent
Imbrium valles: vbi mitigatus

Sole vicinos iaculante monteis
Liquitur humor.
Ire captiuo patiens fluento
Ister assertâ famulatur vndâ:
Corripit fluctus, & vtroque Rhenus
Margine seruit.
Te genu nixi didicêre Medi:
Laxat intentum tibi Maurus arcum:
Te pauent Seres, humerisque Parthi
Scuta reponunt.
Fingit effuso tibi nomen auro
Indus argutâ resonante lymphâ:
Te sonant septem vaga fabulosi
Ostia Nili.

VRBANI VIII. PONT. OPT. MAX. POESIS.

ODE XXII.

QVis temperatæ flumine copiæ
Siticulosis influit auribus
Facundus amnis, & sequacis
Agmine luxuriatur vndæ?
Rursumne toruum cantibus Æacum
Delenit Orpheus, quo duce Thraciæ
Aurita reptauêre saxa, &
Æmoniæ saliêre rupes?
An Dædalei pectinis arbiter
Vates amicâ Pierias lyrâ

Trium-

Triumphat aureis, & diſertos
Eloquij reſerauit amnes?
Qualem pudicis Penea fontibus
Admurmurantem Theſſaliæ iuga
Mirantur, aut præteruoluto
Attonitus ſtupet Æmus Hebro:
Qualémve puris Parthenium vadis
Dignantur alto muta ſilentio
Pangæa, vel circumſonantem
Caſtaliis Helicona ripis
Parnaſſus audit, dum noua gaudia
Jam iam futuri veris auentibus
Enarrat agris, & virentem
Exilio remeare Maium.
O quis Latinæ fons opulentiæ
Exuberanti viuidus impetu
Bacchatur, & lymphata ſecum
Corda rapax animoſque voluit!
Qui nunc profundo voluitur alueo
Sententiarum, nunc gracili fluit
Torrente linguæ, nunc apertis
Ingenij ſpatiatur aruis,
Suiſque latè pronus & inſolens
Exire ripam, non tamen obuiâ
Captiuus algâ, nec tenaci
Ire piger per aprica limo:
Sed clarus auro fertur, & Atticis
Ludit ſmaragdis, non ſine conſono

Liquentis electri ſuſurro, &
Murmure prætereuntis auri.
Non ſtagna Cirrhæ, non ego Phocidos
Deſiderarim: te propè vitrea
VRBANE *Dirce, te fluenta*
Virginei comitantur antri:
Olimque ſimplex collis & inuius,
Nunc hoſpitalis, te duce, Dardanæ
Parnaſſus immigrauit aulæ,
Et Latij redière vates.
Magnuſque tanto Pindarus æmulo
Minor videri gaudet, & Apulæ
Miratur heredem Camœnæ
Pegaſeos vacuare fonteis:
Seu dithyrambo liber, inutilem
Verbis catenam demis, & affluis
Impunè; ſeu rurſum ſeuero
Verba placet cohibere nodo.
Sed non profanæ gloria laureæ,
Vmbrata Graiis tempora frondibus
Adcomit, at conchyliatâ
Pulcher honor redimit coronâ,
Et dedicatam purpura laureæ
Furata frontem ſubrubet: hactenus
Florete Vates: iam Latino
Veſter honos adoleuit oſtro.

AD

AD LÆVINVM HIELIVM.

Laboris commendatio.

ODE XXIII.

NAm quæ purpureis fumet honoribus
Formoſo melior de grege victima,
Quàm cui ſolliciti vomeris aſpero
Vſſit colla labor iugo?
Condit regna labor. Fabricio benè
Findenti patriis iugera ſarculis
Frondent in mediis ſceptra noualibus
Pulchræ meßis adoreæ.
Raſtriſque & rigidis parce ligonibus;
Vncum, Lictor ait, reijce ſarculum:
Quæ ſeuit Cererem, Regna metet manus,
Glebæ fraude ſuperbior.
Iam nunc emeritos ſolue iugo boues,
Iam nunc nobilium colla Quiritium
Æqui flecte memor, parcus & abſtinens
Romani pater Imperî.
Fortunæ memores nunc, age, victimas
Iuſto mitte Ioui. quæ modò mugiit
Sacris Pontificum digna ſecuribus
Aras illinet hoſtia.
Numquam puniceis hiſpida crinibus
Martis belligerâ pendula fraxino
Auri deciduus veſtierat iubis
Graium pellis Iaſona;

Si non difficiles imperij boues
Egisset dominâ vertere dexterâ
Ferratis chalybum saucia dentibus
Colchi littora Phasidis.
Quamquam fulmineo pectoris halitu
Sorberent animosum agricolam boues,
Et fumi fluuium & noctis inhospita
Circùm nubila funderent;
Necquidquam viridùm è semine dentium
Bellator iaculis campus inhorruit,
Et latè peperit castra virentibus
Cristatus galeis ager.
Quippe ad Thessalici fulgur acinacis,
Natali immoriens occubuit metu
Tempestas peditum, & densa micantium
Hastarum interiit sèges.

MA-

MATHIÆ CASIMIRI SARBIEVII SOCIETATIS IESV LYRICORVM LIBER SECVNDVS.

AD FERDINANDVM II. CÆSAREM AVGVSTVM.

ODE I.

Cùm Thracum copiæ excessissent è Pannoniæ finibus.

QVAE *regna, vel quæ dissociabili*
Secreta tellus æquore, quæ domus
Eurique & Arctoi Bootæ
Cæsarei sonitum triumphi
Nesciuit? O quà Rumor eburneis
Genteisque & vrbeis præuehitur rotis,
Audite Cæsar, te superbæ
Herculeas superasse laudes
Fleuêre Thebæ: te tumidus procul
Formidolosi laudibus Herculis
Plorauit Hebrus: te frementes
Arcadiæ gemuêre valles,

Non

Non vſitatæ monſtra proteruiæ
Strauiſſe latè. te Nemees iugo
Dignatur Alcides, & Argis,
Et domitâ tibi cedit Idâ.
Non ille quamquam colla minantium
Fumoſque & igneis contudit anguium,
Criſtaſque & immaneis hiatus
Fulmineo tremefecit ictu:
Quamquam gelati marmora Nerei,
Surdiſque mutum littoribus mare
Emenſus, arcanæ refregit
Regna Stygis, pedicaſque captis
Iniecit vmbris immiſerabilis
Prædator Orci; cùm ſpolio priùs
Taurique, & inſani Leonis
Mœnalias decoraſſet ornos:
Non ille quamquam tranſtulit aureo
Scalpenda cælo prælia, quæ procul
Memnonque & Auroræ rubentis
Regna legant, mediiſque Veſper
Miretur aſtris: non tibi debitæ,
Auguſte Cæſar, reddat adoreæ
Palmas, triumphalemque laurum, &
Populei diadema ſerti.
Te pronùs ambit flumine ſupplici
Rhenuſque & Albis. Te refluus ſonat
Tibiſcus, & latè receptâ
Danubius tibi ſeruit vndâ.

Te

Te bellicosus Thermodoontij
Regnator Hebri, te sibi destinat
Peltatus Eurotas, & asper
Argolicis Achelous hastis.
Te militaris mœnia Daciæ,
Te Cimber horret: te genibus minor
Brennus, repercussisque lætùm
Vindelici crepuêre parmis.
Te belluosi littora Bosphori,
Multoque canum frigore Caspium,
Te Cydnus, & leuis Scamandri,
Te refugi pauet vnda Xanthi.

AD PVBLIVM MEMMIVM.

Vitæ humanæ breuitatem benefactis extendendam esse.

ODE II.

QVæ tegit canas modò bruma valleis,
Sole vicinos iaculante monteis
Deteget rursum. tibi cùm niuosæ
Bruma senectæ
In caput seris cecidit pruinis,
Decidet numquam. cita fugit Æstas,
Fugit Autumnus, fugient propinqui
Tempora Veris:
At tibi frigus, capitique cani
Semper hærebunt, neque multa nardus,

Nec parum gratum repetita dement
Serta colorem.
Vna quem nobis dederat iuuentus,
Vna te nobis rapiet ſenectus:
Sed potes, PVBLI, *geminare magnâ*
Sæcula famâ.
Quem ſui raptum gemuêre ciues,
Hic diu vixit. ſibi quiſque Famam
Scribat heredem: rapiunt auaræ
Cetera Lunæ.

AD SVAM TESTVDINEM.

ODE III.

SOnora buxi filia ſutilis
Pendebis altâ barbite populo
Dum ridet aër, & ſupinas
Sollicitat leuis aura frondeis.
Te ſibilantis lenior halitus
Perflabit Euri. me iuuet interim
Collum reclinaſſe, & virenti
Sic temerè iacuiſſe ripâ.
Eheu ſerenum quæ nebulæ tegunt
Repentè cælum! quis ſonus imbrium!
Surgamus. heu ſemper fugaci
Gaudia præteritura paſſu!

AD

AD STANISLAVM SARBIEWSKI FRATREM EQVITEM POLONVM.

ODE IV.

SI transacta retrò sæcula respicis,
Si ventura vides; tristibus omnium
Incumbunt tumulis nigra silentia, &
Altæ obliuio gloriæ.
Fruſtrà belligerum carmine ſuſcitas
Sarbieui SARABETEM, *& ſibi conſcios*
Maneis eſſe vetas, qui benè barbaro
Pridem in puluere dormiunt.
Armorum ſtudio clarus auum nepos
Ad vitam reducem ſplendidiùs dabis;
Nos cantu dabimus, qui tacitos ſacro
Soles ducimus otio.
Multi magna loqui poſſumus: ardua
Raros auſa vocant. Nobilium fluunt
Infecunda Ducum ſæcula; nec bono
Succreſcit ſoboles Patri.
Ætas ſi pariat quælibet Herculem,
Sit fecunda ſatis. ſed ſua ſæpiùs
Tellus monſtra videt, Gerionem, aut Lybin
Antæum, aut validum Gygen.
Ceſſant omnia: nec præpete curritur
Ad maiora gradu. cum potioribus
Seruant parua vicem. deterior ſubit
Prauis fama nepotibus.

Si se quisque tamen vincere gestiat,
Olim æquabit auos. Tu modò fortibus
Insta consiliis, & rude nobili
Urge propositum manu.
Ipsa ad conspicuas nominis inclyti
Ducent fata fores; quà labor arduam
Emunire domum pugnat, & aureis
Sudor præfluit arcibus.
Nunc seu Cæsareo miles in agmine
Scandis turrigeræ mœnia Mantuæ,
Seu te per Ligures, siue per vltimam
Raptat Gloria Galliam;
Iam nunc ad patriæ bella Poloniæ
Magnam finge animam, iam doceat pius
Pulchræ mortis amor laudibus aspera
Commendare pericula:
Mox seu victa vocent Ismara, seu Getes;
Narratam patrio in puluere gloriam
Exercebis eques, nec trepidam sines
De te serpere fabulam.

E rebus humanis excessus.

ODE V.

HVmana linquo. tollite præpetem
Nubesque ventique, vt mihi deuij
Montes resedêre, & volanti
Regna procul populosque vastus

Subegit

Subegit aër! iam radiantia
Delubra Diuûm, iam mihi regiæ
Turres receſsêre, & relictæ in
Exiguum tenuantur vrbes;
Totaſque quà ſe cumque ferunt vagæ
Deſpecto gentes. O lacrymabilis
Incerta fortunæ! ô fluentûm
Principia interituſque rerum!
Hîc ducta primis oppida mœnibus
Minantur in cælum: hîc veteres ruunt
Murique turreſque: hîc ſupinas
Pænè cinis ſepeliuit arceis.
Hîc mite cælum, ſed rapidæ ruunt
In bella gentes: hîc placidâ ſedent
In pace, ſed latè quietos
Dira lues populatur agros.
Hîc pænè tellus tota micantibus
Ardet ſub armis: ſtant acies adhuc
Pendente Fatorum ſub ictu,
Et dubio Furor hæſitauit
In bella paſſu. Parte aliâ recens
Jam miſta Mauors agmina mutuam
Colliſit in mortem, & cadentûm
Cæde virûm cumuliſque latos
Inſternit agros: hîc Mareoticæ
Secura merces æquora nauigant,
Portuſque certatim frequentes
Centum operis populiſque feruent.

Nec vna Marti causa, nec vnius
Sunt arma moris. bellat adulteræ
Ridentis è vultu voluptas,
Inque Helenâ procus ardet orbis.
Hic verba bellis vindicat: hic canis,
Heu vile furtum! se mala comparant;
Rarum sub exemplo superbit,
Nec sceleris scelus instar omne est.
Eous illinc belligerâ latet
Sub classe pontus: iam Thetis æneâ
Mugire flammarum procellâ, &
Attonitæ trepidare cautes,
Et ipsa circùm littora percuti
Maiore fluctu. Sistite barbari,
Ferroque, neu simplex, & igni, &
Naufragio geminate Fatum.
Parúmne tellus in miseras patet
Immensa mortes? hinc miserabili
Quassata terrarum tumultu
Stare pauent titubantque regna,
Vnáque tandem funditus obruunt
Ciues ruinâ. stat tacitus cinis;
Cui serus inscribat viator:
CVM POPVLO IACET HIC ET IPSO
CVM REGE REGNVM. *Quid memorem super-*
infusa totis æquora portubus
Vrbes inundare, & repenti
Tecta Deûm sonuisse fluctu,

Regum-

Regumque turres, & pelago casas
Iam iam latentes? iam video procul
Merceisque differri, & natantem
Oceano fluitare gazam.
Alterna rerum militat efficax
In damna mundus. Cladibus instruit
Bellisque, rixisque, & ruinis
Sanguineam Libitina scenam,
Suprema donec stelligerum dies
Claudat theatrum. Quid morer hactenus
Viator aurarum & serenas
Sole domos aditurus, usque
Humana mirer? tollite præpetem
Festina Vatem, tollite nubila,
Quà solis & lunæ labores
Cæruleo vehit æthra campo.
Ludor? sequaces an subeunt latus
Feruntque venti? iamque iterùm mihi
Et regna decreuêre, & immensæ
Ante oculos periêre gentes;
Suoque semper terra minor globo
Iam iamque cerni difficilis suum
Vanescit in punctum? O refusum
Numinis Oceanum! ô carentem
Mortalitatis portubus insulam!
O clausa nullis marginibus freta!
Haurite anhelantem, & perenni
Sarbi-uium glomerate fluctu.

Cato

Cato Politicus.

ODE VI.

VSu se minui si sinerent opes,
Iam nunc plura petam, quàm teneo; sed, heu!
Auri stulta fames ipsa sibi negat,
Quidquid omnibus abstulit.
Laudo diuitias, quas animus dedit,
Quas versat facili consilium manu;
Quæ cùm perpetuùm crescere gestiant,
Numquam diminui dolent.
Rex aut Cæsar erit; cui Deus arbitrâ
Seu quid sustulerit, seu dederit manu,
Nullâ parte sui maior abiuerit,
Nullâ parte sui minor.
At Sors ingenio plebis inanibus
Illudit studiis: nam varias sinu
Cùm dispersit opes, ridet inutili
Vulgum feruere iurgio.
Quantum magna libet munera iecerit,
Stulti diripiant; non ego mobiles
Voto digner opes, quas aliquis meam
Casus verterit in manum.
Quòd si me meritis fascibus ambiunt,
Ipsam Fata domum, sed sine tristibus
Intrent inuidiis, ne volitent meæ
Circum limina regiæ.

A vir-

A virtute datis vtar honoribus
Tamquam depoſito. cùm ſuperi volent
Quæ lætus tenui, lætus idoneo
Tradam ſceptra vicario.
Gratam cùm populis egero fabulam,
Seu claro nitidus murice, ſeu togâ,
Et ſcenâ monitus cedere, non meis
Vltrò veſtibus exuar:
Et qui conſpicuus tot populis heri
Spectabar tacito non ſine gaudio;
Ridens è mediâ plebe vicariam
Cras ſpectabo Tragœdiam.

AD PVBLIVM MEMMIVM.

ODE VII.

Eſſet humanis aliquod leuamen
Cladibus, ſi res caderent eâdem
Quâ morâ ſurgunt; ſed humant repentes
Alta ruinæ.
Nil diu felix ſtetit. inquieta
Vrbium currunt, hominumque Fata:
Totque vix horis iacuêre, ſurgunt
Regna quotannis.
Caſibus longum dedit ille tempus,
Qui diem regnis ſatis eruendis
Dixit: elato populos habent momenta ſub ictu.

Parce crudeles, morituræ PVBLI,
Impio Diuos onerare queſtu,
Denſa vicinis nimiùm vagari
Funera tectis.
Quæ tibi primùm dedit hora naſci,
Hæc mori primùm dedit. ille longùm
Vixit, æternum ſibi qui merendo
Vindicat æuum.

AD ASTERIVM.

ODE VIII.

AT nos inani paſcit imagine
Fortuna rerum. ludimur, ASTERI,
Vmbris amicorum; & doloſo
Verba ſimul placuére fuco,
Res eſſe ſtulti credimus. at ſimul
Sors infidelem corripuit rotam,
Gaudent recedenti Sodales
Non eadem dare verba Diuæ.
Plerumque falſis nominibus placent
Humana. Rari pollicitis data
Æquamus: & minor loquaci
Relligio ſolet eſſe voto.

AD DECIVM.

ODE IX.

AN nos ſola parit DECI
Tellus? an patrio degeneres polo

Menti-

Mentimur genus, & domum,
Quæ nos aſſiduis circuit ignibus,
Et torpere domeſtico
Stellatam ſobolem non ſinit otio?
At ſi ſemideum genus
Non falſis canimur fabula Vatibus
Cælo ducere ſanguinem;
Cur noſtræ reſides, heu nimiùm diu!
Indormimus inertiæ,
Natalique dies infodimus caſæ,
Dum pulchri fuga temporis
Nil cunctante ſenes prætereat rotâ?
O quiſquis volet impiam
Noctem paciferi rumpere ſæculi;
Primus Phaſin & vberes
Colchos, & veteris mœnia Thraciæ
Pulſis eripiat Getis:
Illum per populos garrula differet
Bigis Gloria candidis,
Et ſeris recinet Fama nepotibus.
At nos nobilium domi
Laudum liuor edet: quatenus (heu nefas!)
Quod Virtus erat, inuidi,
Fortunæ tenui nomine diximus.
Fatis omnia tradimus:
Et quam certus emit conſiliis labor,
Stultæ plebis in agmine,
Laudem caſus habet. nam ſimul abſtitit

Noſtris Gloria poſtibus,
Obliquo refugam lumine figïmus;
Et læti malè, ſerias
Laudes non hilari deterimus ioco.
At tu cui placitas manu
Pulſat Fama fores, excute te toro,
Menſæque & patriis focis;
Et quacumque ſequi iuſſerit, emica,
Ducentemque præi, neque
Præter ſucciduis paßibus ambula.
Mox hinc Caucaſon, hinc Athon
Victor belligero corripies gradu:
Tunc quæ maxima fluminum
Seu cum Sole ſacris fontibus exeunt,
Seu cum Sole cadunt, nihil
Indignata tui ſceptra ſub Imperî
Leni pace fluent; ſuum
Voluent cuncta tuis in manibus diem.
Cur tunc ad patrios ego
Cantem bella focos, ſegnis & immemor
Sacræ transfuga Gloriæ?
Cur non te potiùs Græcia, barbarum
Cur exuta iugum Rhodos,
Viſam non pauidis nauita puppibus?
Iam tunc carpere libero
Tempe læta gradu, iam liceat ſacrum
Æmi ſcandere verticem:
Et nunc in vitrei margine Penei,

Nunc ad saxa biuerticis
Parnassi residem, Pindaricis iuuet
Rupes vincere cantibus,
Et pacare rudi prælia barbito.
Iam tunc inclytus & sacer,
Ignotisque procul gentibus audiar
Magni carminis artifex:
Tum quæ pessima præsentibus imminet,
Absens vlterioribus
Abrumpam spatiis inuidiam; neque
Occultus patiar mori
Exul Pieriæ ciuis adoreæ.

ODE X.

MEo beatus, cetera vilibus
Habere Fatis, & miserabili
Permitto vulgo: quos secundo
Per populos vehat axe Rumor,
Quem donet astris Gloria, fortiter
Ignarus: & quæ lex sapientibus,
Idem meas nescire, & idem
A populo didicisse laudes,
Latere clauso certior ostio:
At ne malignis Fama calumniis
Me iactet arcanum probrosis
Flagitium simulare tectis,
Audax vel ipso viuere publicus
In sole ciuis. Non ego ludicræ

Dixi ſacramentum Mineruæ
Innocuus ſine cæde miles:
Sed bellicoſo ſtrenuus ardui
Amore veri, crimina ſæculi
Fraudeſque & indeuota laudi
Pectora deſidiamque frango
Vltore verſu. quem nimis aſperum
Exſuſcitando Numina gentium
Regem eſſe nolebant veterno,
Eſſe tamen voluêre Vatem.

AD D. VIRGINEM MATREM,

Cùm illi templum IOANNES CAROLVS CHODKEVICIVS, ſigna contra Oſmanum Byzantinum Imperatorem moturus, exſtrueret.

ODE XI.

HVc ô beatis ſepta cohortibus
Regina mundi, ſidereos, age,
Molire paſſus, huc curuli
Nube ſuper Zephyroque præpes
Deſcende, ſacri conſcia liminis:
Quà dedicatis te Samogitia
Dignatur aris, & patronæ
Thuricremi famulantur ignes:
Neu vota Virgo temne vocantium,
Quamquam micantûm regia ſiderum,
Romæque, Lauretique ſedes
Dalmatico potior metallo:

Quam-

Quamquam niuoſi ciuis Enipei
Te non auaris ornet adoreis,
Ditemque miretur ſuperbis
Heniochus radiare tectis:
Et qui ſupinis præcipitem rotis
Solem recliues Americi vident,
Et qui ſub Eois renatum
Suſpiciunt remeare cunis.
Videtis? an me ludit amabilis
Imago Diuæ? iam videor pios
Audire plauſus, & ſonanteis
Cæruleum per inane currus,
Triſteiſque fumos, & nebulæ globum
Latè ſerenas rumpere copias,
Auroque florenteis, & igni, &
Miſsilibus radiorum acutis:
Spiſſæque nimbum lucis, & igneas
Flictu rotarum feruere ſemitas,
Ventoſque, & obluctata longo
Nubila diſſiluiſſe ſulco, &
Effuſa denſis agmina deſuper
Errare gyris, non ſine ſiderum
Riſu, renidentiſque cæli,
Sole cauas iaculante nubeis.
Auditis? O quas prætereuntium
Lyraſque cantuſque audio nubium!
Io triumphe: ter procellæ,
Ter liquidæ crepuêre flammæ.

Io triumphe: ter resonabilis
Respondit Echo: ter Samogitiæ
Saltus, supinatæque valles,
Et trepidæ sonuêre siluæ.
O ergo nostris præses habebitur
Regina terris: ite, recentibus
Stipate donis, & precatu
Indigetem celebrate Diuam.

AD FERDINANDVM II. CÆSAREM AVGVSTVM.

ODE XII.

IAm minax Albis, domitusque latè
Rhenus assertâ famulatur vndâ:
Iam fluunt pronis tibi regna FERDINANDE *tributis.*
Turma pugnaces populata Dacos
Hausit imbellem galeis Tibiscum,
Fessa bellorum, pauidumque telis
Sepiit Istrum.
Ille terrarum fragor, ille magnæ
Fulmen Europæ, Scythici tremendus
Arbiter ponti, piger obsoletis
Abstinet armis.
Iam sacræ Leges, & amica Legum
Iura ciuiles cohibent tumultus,
Et Fides, & Fas, & aperta læto
Gratia vultu.

Iura

Iura pacatis dominantur agris,
Iura compescunt graue classicorum
Murmur, & currus, & hiulca rauci
Fulmina belli.
Pax vbi clausas moderatur vrbeis,
Illa vittatis operatur aris;
Illa vicinis studet æmulari
Sidera templis:
Quaque pubenteis graditur per herbas;
Hinc & hinc Diuam comitatus albo
Messium fluctu Corealis vndat
Merges aristæ.
Longus herbosis spatiatur aruis
Ordo Virtutum; niueaque iuncta
Faustitas Paci legit otiosis
Lilia campis.
Ite Rhæteis sociæ triumphis,
Ite, delectos religate flores,
Ite Virtutes, iterate nexis
Serta trophæis.
Te Ceres flauis redimita culmis,
Magne pacati Moderator orbis,
Te Iouis quercus, & Apollinaris
Vmbra corymbi,
Te volunt lauri, tibi se Latini
Arbor Alcidæ probat, & supinis
Annuit ramis, & amica circum
Tempora serpit.

Quo velis crinem cohibere ſerto
Mitte cunctari: tibi colla circum
Herculis ritu fluat vſitatâ
Populus vmbrâ.

AD IVLIVM ROSAM.

Inuitat eum ad ſacram Poëſim in crepuſculo D. VIRGINIS MATRIS peruigilij decantandam.

ODE XIII.

QVid muti trahimus diu
Segnes excubias? ſuggere poſtibus
Dereptum, ROSA, *barbiton.*
Nos arguta manu fila docebimus:
Tu buxum digitis moue,
Et mutis animam ſuffice tibiis.
Nos cantabimus aureos
Stellarum vigiles, ſiſtere lubricam
Mundi ſollicitos fugam, &
Palantum choreas ducere ſiderum:
Tu rerum Dominam canes,
Et ſparſam Zephyrorum arbitrio comam
Nudis ludere brachiis,
Et nimbos volucrum fundere crinium.
Addes & teretes pedum
Suras non humilem lambere Cynthiam:
Et ſutas chlamydum faces,
Indutiſque togam Solis amabili

Emi-

Emirabêre fistulâ:
Donec virgineis laudibus, & suis
Placatus resecet moras
Et currum madidis flectat ab Indiis.

AD D. VIRGINEM MATREM.

Cùm illi dicata nauis in Indiam solueret.

ODE XIV.

Diua ventorum pelagique præses,
Quæ laboranteis super alta naueis
Summoues saxis, vteroque Nerei
Eripis imo:
Si tibi moti cadit ira ponti,
Cùm Thetis molleis imitata somnos
Sternitur latè, bibuliſque se re-
clinat arenis:
Mercium felix tua nauis esto,
Quæ per vndanteis tibi læta fluctus
Floribus remos, hilarique proram
Fronde coronat.
Illa seu primos aditura Seras,
Siue longinquas Orientis oras:
Proferet latè tua fabuloso
Nomina mundo.

AD APOLLINEM.

Magnificentiam CAESARIANAE liberalitatis ab illo cani oportere.

ODE XV.

Quis litterati munera Cæsaris,
Fusasque pronâ diuitias manu,
Et tecta, quæ pecuniarum
Auriferis micuêre nimbis,
Laborioſi carminis arbiter
Æternet! O qui ſacra biuerticis
Delubra Parnaſſi, & canorum
Imperiis Helicona frænas:
Expergefactis ad ſonitum lyris,
Vndantis auri flumina concine,
Quæ fuſa FERDINANDIANIS
Per populos abiêre riuis.
Non curioſis ille ligonibus
Euiſceratæ collibus Indiæ,
Aut emedullato Liburnis
Montibus inſidiatur auro:
Vſúque rerum, non opibus potens,
Exuberantis flumina dexteræ
Per ſacra Muſarum refundit
Atria, Palladioſque poſteis.
At non, vt olim, fabula pauperes
Ditauit agros; dum pretio grauis,

Auri-

Auriq́ue tempeſtate diues,
Nobilium pater vnionum
Ganges auaro gemmea ſepties
Tributa ſoluit Nereidum patri,
Ripaſq́ue miranteiſq́ue campos
Mygdoniæ lauit amne gazæ.
Hinc illa magnæ regia Palladis,
Faſtigiatis Pyramidum iugis,
Æquâ leuabit inuidendum
Mole caput, famulumq́ue Muſis
Prætexet Albim: quæ procul exſulem
Phœbum ſeueræ ſaltibus Atticæ,
Cirrhâque, & vmbroſis reductum
Theſſaliæ reuocabit antris.
Sic ille Gallus ſcilicet Hercules
Plebem ſonantùm colligat aureo
Nexu catenarum, & reuinctâ
Attonitum trahit aure vulgus:
Dulciq́ue rerum defluus agmine,
Ludit recuſis in pretium ſonis;
Aurumq́ue, & in vulgum caducas
Flumineo ruit ore gemmas.

IN D. VIRGINEM MATREM CARMEN SÆCVLARE.

Parodia ex Q. Horatio Flacco.

ODE XVI.

REginam teneræ dicite Virgines
Viſentem roſeis aſtra iugalibus,
Dignatamque volantum
Currus flectere ſiderum.
Vos lætam citharis, & ſonitu lyræ,
Quem vel Pierij verbere pectinis
Fingit ſaucius aër,
Vel motæ digito fides:
Vos Marſæ iuuenes carmine tibiæ,
Aut rauci ſtrepitu dicite tympani,
Pugnarúmve loquaci
Nympham reddite claſſico.
Cæcos illa metus, & Procerum graueis
Iras, è miſeræ limine patriæ,
Veſtris mota querelis,
Ad Medos aget & Getas.

DE SACRO SALOMONIS EPITHALAMIO:

Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum.

ODE XVII.

VItas ſollicitæ me ſimilis capræ,
Quam vel nimbiſoni ſibilus Africi,

Vel

Vel motum ſubitis murmur Eteſiis
Vano corripit impetu.
Nam ſeu prima metum bruma trementibus
Incuſſit foliis, ſiue Dieſpiter
Eliſit reſonis tela Cerauniis,
Incertâ trepidat fugâ.
Atqui non ego te quærere deſinam,
Clamatura retrò, CHRISTE, *Reuertere: &*
Rurſus, cùm rapido fugeris impetu,
Clamatura, Reuertere.
O ſeu te Libani terga virentia,
Seu formoſa rubræ culta Bethuliæ,
Seu pinguis Solymæ, ſiue procul cauæ
Cingunt rura Capharniæ;
Tandem ſollicitæ pone modum fugæ.
Nam non effugies, te mihi ſedulis
Æther excubiis prodet, & aureis
Prodet Cynthia cornibus.
Te neglecta gemunt littora, te procul
Suſpirat tacitis aura Fauoniis,
Te noctis vigiles, te mihi viuidis
Signant ſidera nutibus.

AD

AD IOAN. STEPHANVM MENOCHIVM Rectorem Collegij Romani Soc. IESV, Cùm Libros de Principum inſtitutione in lucem edidiſſet.

ODE XVIII.

Qvalis vbi Phrygiâ Iouis armiger educatus Idâ
Audax hiulci fulminis ſatelles,
Vere nouo teneras Aquilonibus experitur alas,
Terraſque neſcit, immemorque nidi,
Magna patris relegit veſtigia, fulminumq; latè
Circumtonantes viſit officinas,
Euincitque Notos, & inertibus euenit pruinis,
Cæloque tenſos nauigat per imbreis:
Talis inaſſueto circumuagus ingeni volatu,
Doctus paternæ ſirenuuſque pennæ,
Celſa ſuper Procerum pallatia, deſpiciſque terras
Summaſque rerum peruagaris arceis.
Quaque Pater dubiis populos ſuper immoratus alis
Leges ſuperbis diuidit Tyrannis:
Hac neque conſilij neque degener ingeni ſecutus
Æquis adurges niſibus volantem.
Ille tamen dominas frænauerat Inſubrum ſecureis,
Forumque gnauus rexerat Triumuir:
Te rerum exſortem tenuit domus innocentis oti
Auſum togatas exuiſſe curas.

Nec

Nec te plebis honos, neque litibus intonata centum
Verbosa raucis bella sub patronis,
Nec plorata reis subsellia, nec triumuirali
Adiudicatum curiæ tribunal;
Sed iucunda tenent obliuia diffluentis æui,
Et vrbis expers patriæque vita.
Non tamen intereà niueos finis exsulare moreis
Aulis potentûm curiisque Regum,
Præceptisque Numas & Legibus anteis Lycurgos,
Valeriosque vincis & Catones,
Dum prohibes tumidum popularibus Ambitum procellis
Regni verendos obsidere posteis:
Nec pateris mediis adsistere Cæsarum cateruis
Cæcasque Fraudeis, desidesque Luxus,
Exsomneisque Dolos, & dulcibus illitum venenis
Aulæ nitorem, barbarumque Fastum,
Quin etiam teneros virtutibus imbuis Quiriteis,
Sacrumque cunis aduocas Honestum,
Ignotumque doces vagitibus alloqui Tonantem,
Rudemque Diuis explicare palmam.
Jamque nouos debet tibi Martia Roma Scipiones,
Centumque Magnos, Maximosque centum,
Et Belgæ Carolos, & Lechica regna Casimiros,
Nouosque Dacus debet Emericos:
Ferrea paciferum qui sæcula digerant in aurum,
Mundique pronas fulciant ruinas;
Et Tiberi Gangen, & Gadibus asserant Hydaspen,
Et regna primo differant Eoo.

Quorum ſpontè fluens ſub fœdera militaris Iſter,
Rumpat tenaceis Boſphoro catenas.
Quos neque fulmineâ de pectoris emouebit arce
Inane regni purpuræque fulgur,
Nec quæ diſpoſitis toga luxurioſior lapillis
Furto pudentis erubeſcit oſtri;
Nec ſolium, nec quæ manus imperioſiore ſceptro
Mœſtæ minatur annuitque plebi.
Hæc adeò longi cùm perleget otij ſequeſter
Vrſinus, almi prima cura Phœbi,
Triſtibus ignotum te non ſinet immori tenebris:
Sed te futuro conſecrabit æuo
Temporis egreſſum ludibria, turbineſque rerum, &
Caliginoſi ſæua iura leti.

AD ANDREAM RVDOMINAM E SOCIETATE IESV.

Cùm Româ in Luſitaniam abiret in Indiam nauigaturus.

ODE XIX.

ERgo minaci credulus Africo,
Tumultuoſi marmora Nerei,
Pugnaſque ventorum, & tyrannos
Æoliæ ſuperabis aulæ?
Nec te marinæ torua licentiæ
Imago terret? nec timor æquoris

Enaui-

Enauigandus, nec proteruis
Ille frequens equitatus Euris?
Sed contumaceis Æoliæ minas,
Iramque ponti ſpernis, & obuios
Mundi furores irretortâ
Fronte ſubis ſimilique vultu,
Quo feriantis mœnia Tuſculi,
Aut otioſi iugera Tiburis
Perambulaturus ſubibas
Egelidos Anienis amneis?
Hoc ore motæ dira proteruia
Subſidet vndæ. iam video procul
Ad littus acclinata leni
Æquora decubuiſſe ſomno,
Et dormientis flamina Nerei
Spirare pacem. ſcinde tenacium
Moras rudentum: perge claſſem
Veliuolis animare ventis.
REGINA *terrarum & pelagi potens*
Formidoloſos diruet obiices
Periculorum, nec ſiniſtris
Ire dabit tua Fata velis.

LAVDES
INVICTISSIMI POTENTISSIMIQVE
SIGISMVNDI III.
POLONIÆ SVECIÆQVE REGIS.

ODE XX.

QVam prono Rhodopen pede
Luſtro? quæ vitrei littora Phaſidis
Viuo præuehor impetu?
Audaceiſque Dahas, & facileis mori
Colchos, & rapidum Scythen,
Captiuumque gelu tranſilio Tyram?
O cani iuga Carpathi!
O formoſa rubræ rura Druentiæ,
Quam fontes Hypanis lauant,
Quam lambunt gelidi flumina Viſtulæ!
Quis me, quis Moraquæ, precor,
Quis me perſpicuæ margine Viliæ
Siſtat, quà gelidum nemus
Ridet mobilium fletibus amnium?
O quæ ſidera traiicis,
O quæ nubiuagâ Calliope polum
Præterlaberis orbitâ:
Hîc me ſiſte, precor, quà Getico piger
Feruet ſanguine Boſphorus,
Nymphæique domos, & caua barbaræ

Plangit

Plangit littora Tauricæ.
Hîc dulci ſcopulos carmine colligam,
Hîc Graiæ prece tibiæ
Aram de mediis ſurgere rupibus
Suadebo. duce me retrò
Deſcendent reſonis marmora collibus;
Et longo procul ordine,
Arrepent Pariis ſaxa laboribus:
Muſæamque pati manum
Inſcribique volent, & memores tui,
SIGISMVNDE, *pati notas.*
Sculpêris volucri proterere impetu
Threſſæ cornua Cynthiæ.
Scalpemus gemini fulmina prælij,
Scalpemus refugum Geten,
Et captum niueis Nerea vinculis.
Huc & nocte bis & die
Lectarum venient agmina Virginum,
Et latè violis humum,
Aramque & folio Solis, & aureis
Pingent marmora liliis.
Nos & manè ter, & veſpere ter ſacrâ
Circùm valle ſedebimus:
Hîc viuis dabimus ceſpitibus ſuper
Verbenas, & olentia
Sacris thura focis, & rude ſutili
Nectemus philyrâ caput.
Dicemus ter io: ter reciuent io

Canæ littora Thraciæ:
Et victos iterùm carmine Concanos,
Et plausus, & ouantia
Permistis dabimus classica tympanis.

AD GERMANIAM Ciuili bello ardentem.

ODE XXI.

QVid iuuat densis glomerata turmis
Bella ciuili tonuisse clade?
Quid iuuat latè maduisse pingueis
Sanguine campos?
Tela Threïssis potiora pugnis,
Tela Germani cohibete, tela:
Tela molitur noua peruicacem
Cæsar in hostem.
Parcus irarum, modicusque ferri,
Lenis in ciues, sine cæde fusos
Thracas & victos sine clade Cæsar
Sternet Alanos.
Pone crudelis simulacra leti,
Deme loricas, pharetrasque Rhæte,
Mollibus flectit sua regna FERDI-
NANDVS *habenis.*
Seruit extremi tibi potor Istri,
Cæsar irati moderator orbis:
Te repercussis agilis Sicamber
Concrepat armis.

Condi-

Condito mitis placiduſque ferro
Orbis, ingentes ſenij ruinas
Firmat, & prono fugitiua ducit
Otia mundo.
Martis oblitus, calidæque rixæ
Findit obliquo iuga vomer vnco:
Et minax olim, modò iuſtus agrum
Demetit enſis.
Caßis inſtratis reſupina criſtis,
Alitum vernis reſonat querelis,
Fœta nidorum: ſociant maritas
Scuta columbas.
Te vagum Solis comitata currum
Fama, per latas ſpatiata terras,
Narret Eois, doceatque ſeros
Nomen Iberos.
Audiet Dacos acuiſſe tela,
Tela Germanis inimica telis:
Audiet contos & iniqua pilis
Pila rotari.
At ſimul leni rapiente curru
Sparget inſonti fera corda ſucco:
Demet & contos, & iniqua pilis
Pila recondet.

DIRÆ IN HERODEM.

ODE XXII.

Deuota ſacræ progenies domus!
Fatale monſtrum! prodigialium
Monſtrum parentum! ſeu Libyſſa
Marmaricis lea pauit antris,
Seu te maligno ſidere degener
Pardus maritâ tigride prodidit,
Furoris heredem paterni;
Siue gregis populator Afri
Nudum ſub alto deſtituit iugo;
Seu belluoſis fluctibus exſpuit
Irata tempeſtas nocentem
Alitibuſque feriſque prædam;
Tuo ſeueras pectore marmora
Duxêre venas, marmora rupibus
Deciſa, quas Gætula cælebs
Deucalio ſuper arua iecit:
Te ſede primùm liuida regiâ
Megæra fixit: Tyſiphone dedit
Sceptrum cruentandum, feraéque
Impoſuit diadema fronti; &
Regale nuper cùm premeres ebur,
Adſedit altis fulta curulibus,
Et per Palæſtinos Tyrannis
Explicuit ſua ſigna campos.

Tremenſ-

Tremenſque & atrum ſanguineâ manu
Telum coruſcans, ſecum Odia, & Minas,
Cædemque, & inſanos Tumultus,
Funeraque, & populorum iniquas
Strages, & indignum Excidium retrò
Lactentis æui traxit, & inclyta
Regnorum, inexhauſtaſque longis
Cladibus euacuauit vrbeis.
Illam & parentum dira gementium
Lamenta, Queſtuſque, & Gemitus retrò,
Luctuſque vicatim ſecuti, &
Irriguis Lacrymæ cateruis.
Quòd ſi caducis decidit amnibus
Præſagus imber, quid pluuias ſequi
Cunctantur vltrices procellæ,
Et volucrum ſtrepitu quadrigarum
Incuſſus æther pigra tonitrua &
Immugientûm fulmina nubium
Compeſcit, indulgentque metæ
Aëriis vaga tela pennis?
At nil triſulcis Acroceraunia
Deiecta flammis, nil Rhodopes iugum,
Quaſſæve peccauêre cautes
Æmathiæ, niſi fortè dirum
Inominatis marmora partubus
Fudêre monſtrum: rumpite, rumpite
Monteiſque, fecundaſque Regum
Fulmina præcipitate rupeis.

Exſpiret auras ; occidat, occidat
Funeſtus, exſecrabilis, efferus
Sector; crematuramque taxum
Ipſe ſuper cumulumque regni
Summum cadauer fumet, & aëra
Cælumque diro liberet halitu
Fatale monſtrum, diſſidentium
Ludibrium Furiarum, & Orci.
Perrumpe tractus impenetrabileis
Ignaua tellus, deſuper arduâ
Voluente ſaxorum ruinâ:
Quam pelagus ſuper & refuſis
Bis terque Nereus Syrtibus inſonet.
Audimur. ingens ſidera verberat,
Spumamque, limumque, & rapaceis
Oceanus glomerauit vndas:
Iam nutat æther, iam barathrum propè,
Vaſtiſque campi diſſidiis hiant:
Iam fractus illabetur orbis
Sacrilego capiti. i, profunda
Inexpiato pollue Tartara
Tyranne leto: ſolus & igneum
Inſume Cocytum, & frementem
Sulphureis Acheronta ripis.

EX SACRO SALOMONIS EPITHALAMIO:

Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.

Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neq; euigilare faciatis dilectam, quoaduſque ipſa velit.

Ecce iſte venit, ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum.

ODE XXIII.

ME ſtipate roſariis,
Me fulcite crocis, me violariis,
Me vallate Cydoniis,
Me canis, ſociæ, ſpargite liliis:
Nam viſi mora Numinis
Mî ſacris animam torret in ignibus.
Vos ô, vos ego filiæ
Cæleſtis Solymæ; vos Galaditides,
Vos ô per capreas ego
Erranteiſque iugis hinnuleos precor,
Antiqui genus Iſaci,
Quæ ſaltus Libani, quæ viridem vago
Carmelum pede viſitis,
Nymphæ nobilium gloria montium:
Ne vexate tenacibus
Acclinem violis: neu ſtrepitu pedum,

Neu plausæ sonitu manus
Pacem solliciti rumpite somnij:
Donec Sponsa suo leues
Somnos ex oculis pollice terserit:
Donec Lucifer aureus
Rerum paciferum ruperit otium.
Summis ecce venit iugis
Formosæ soboles matris, & vnicæ
Formosi soboles patris:
Siluarumque super colla comantium, &
Intonsum Libani caput,
Magnorumque salit terga cacuminum, ac
Proceras nemorum domos
Prono transiliens præterit impetu:
Veloci similis capræ,
Quæ visis humili in valle leonibus,
Per prærupta, per ardua
Sublimi volucris fertur anhelitu.

AD D. VIRGINEM MATREM,

Cùm fame, bello, cælique intemperie laboraret Polonia.

ODE XXIV.

AVrei regina MARIA *cæli,*
Mæsiæ valleis, Hypanimque latè
Nubium curru super & niuosis
Vise quadrigis.

Aureus

Aureus tecum Puer, & coruſcis
Aureæ pennis properent cateruæ;
Et Salus, & Pax, & aperta pando
Copia cornu.

AD CLAVDIVM RVFVM.

Sibi ſepulchra & tumulos Regum ſcholam eſſe.

ODE XXV.

NOn me Democriti ſalēs,
Non me Cecropij porticus atrij,
Non percuſſa docentium
Delectant calidis pulpita iurgiis,
Vel quæ pectoris impotens
Clamoſi celebrat turba Panætij;
Vel quæ Pythagoræ ſenis
Doctâ tuſſe crepant: me veterum frequens
Memphis Pyramidum docet,
Me preſſæ tumulo lacryma gloriæ.
Me proiecta iacentium
Paſſim per populos buſta Quiritium,
Et vilis Zephyro iocus
Iactati cineres, & Procerum rogi,
Fumantumque cadauera
Regnorum, tacito, RVFE, ſilentio
Mœſtum multa monent. mihi
Pompeij gelido ſub Ioue ſegreges
Artus, & lacrymæ carens
Deſertoque vagum littore funus, &

Magni nominis indigum
Corpus, magniloqui verba Panætij
Compenſat breuiùs, neque
Regales patitur quærere copias.
Nolim Pieriis macer
Inſudare libris, aut tacito vigil
Impalleſcere Socrati:
Si Regum titulos, & tumulis ſuper
Fulgentem premo gloriam, &
Calco nobilium nomina Cæſarum.

AD FAMAM.

LAVDES LADISLAI, PRINCIPIS POLONIÆ SVECIÆQVE AB ILLA CANI OPORTERE.

ODE XXVI.

AGe picti moderatrix Dea mundi,
Quate pulſo titubanteis pede nimbos,
Age, claras famulantûm quate pennas Aquilonum:
Glacialis rege currum Cynoſuræ,
Cata ſpiſſos ſuper imbreis equitare,
Simul Euros animauit generoſo tuba cornu.
Tibi plauſus populari vagus aurâ,
Tibi pulchræ ſociali vice laudes,
Famulantur ſalientûm comitatu chorearum.

Tibi

Tibi ſeptem Tiberinæ iuga ripæ
Saliari cita gyro glomerantur;
Tibi longus per apricum ſalit ordo thyaſorum.
Age, ſacrum glacialis iubar Vrſæ
Cane Medis, cane flauis Agathyrſis:
Cilicumque & pharetratis Naſamonum cane turmis.
Tibi, Princeps, opulenti liquor Hermi
Graue nomen fluuiali linet auro;
Tibi carmen pretioſâ perarabit Tagus urnâ.

MATHIÆ CASIMIRI SARBIEVII SOCIETATIS IESV LYRICORVM LIBER TERTIVS.

AD FRANCISCVM CARDINALEM BARBERINVM, VRBANI VIII. PONT. OPT. MAX. FRATRIS FILIVM,

ODE I.

ABSISTE *vulgus. nil humili iuuat*
Cantare buxo, nil popularibus
Neruis, verecundoque functum
Barbiton ingeminare cantu.
Te Vaticanæ ſidus adoreæ,
FRANCISCE, *dicam. Te niueis ſuper*
Cunis liguſtrorum reclinem
Pulcher honos, croceoque Phœbus
Perfudit imbri. te roſeus Pudor,
Virtuſque primùm non pueriliter
Riſêre naſcentem, & ſupinis
Lilia ſuppoſuêre membris.

Tunc

Tunc & iocoso murmure garrulus
Arguta primis verba leporibus,
Dulceisque vagitus ab ipsis
Crederis edidicisse Musis.
Tunc & caducis ningere liliis
Molleis pruinas, & violaria, &
Nubem rosetorum proteruo
In puerum cecidisse nimbo,
Nec non seueri flumina Liberi
Manasse credunt, mellaque Dardanos
Errasse per vicos, & vrbem
Vberibus secuisse riuis:
Læuumque vernæ munere copiæ
Risisse Tibrin, & virides procul
Strauisse per ripam tapetas,
Oenotrios Aniene fonteis
Gratùm allocuto, lenè cadentibus
In verba lymphis. Ite loquacibus
Per plana camporum fluentis:
Ite, nouos iterate lusus,
Auræ cachinno molliter herbidas
Plangente ripas. nascitur, & vitî
Sincerus, illimisque morum
Innocuæ fluit amne vitæ
Princeps amœnæ flumen Etruriæ:
Ille & profundi feruidus ingenî,
Frugemque virtutum, & Latinis
Restituet sata læta campis:

Auroque fusum tempus, & aurei
Latè per vrbeis flumina sæculi
Diffundet, & regnata paruo
Rura Ioui, resideſque glebas
Deliberato vomeris otio,
Bacchoque & albis frugibus induet:
Ripaſque, miranteisque siluas
Heſperiæ linet amne gazæ.

AD D. MAGDALENAM,
Christi necem deflentem.
ODE II.

CVm tu MAGDALA *liuidam*
Christi cæsariem, cùm malè pendula
Spectas brachia, prô tibi
Pectus non solitis feruet amoribus!
Non es, qualis eras: tibi
Non mens semianimis restat in artubus:
Non fronti teneræ niues,
Non viuax roseis purpura vultibus,
Non notus supereſt color:
Sed mors marmoreis pingitur in genis,
Et vitæ gracilis via
Exili tacitè spirat anhelitu.
Non, me si satis audias,
Plores perpetuùm tristia; tertia
Cùm lucem reuehet dies,
Mutati referet munera gaudij.

Nam

Nam quæ ſole caret, duplex
Ridebit geminis tertia ſolibus.

AD FRANCISCVM CARDINALEM BARBERINVM.

Clementiâ potiſſimùm Principes ornari.

ODE III.

Felix, qui dubio ſorte caput ſuppoſuit Ioui,
Nutantiſque polo: nec trepidâ ſceptra tenet manu,
Nec ſperat cupidus, ſed fruitur; nec pauidus tenet,
Sed ſecurus habet. Tu modici lenior imperi,
Nec plauſum tacitæ plebis emes, nec miſerabileis
Diuendes lacrymas nobilium cæde Quiritium;
Te iuſtus populi clarat amor. cetera diffluent:
Hoc vno veniet diues opum copia flumine.

AD EGNATIVM NOLLIVM.

Æquo ſemper rectoque animo aduerſus Fortunæ inconſtantiam ſtandum eſſe.

ODE IV.

Siue te molli vehet aura vento,
Siue non planis agitabit vndis;
Vince Fortunam, dubiaſque NOLLI,
Lude per artes.
Riſerit? vultum generoſus auſer.
Fleuerit? dulci refer ora riſu:

Solus, & ſemper tuus eſſe quouis
Diſce tumultu.
Ipſe te clauſam modereris vrbem
Conſul aut Cæſar; quoties minantûm
Turba Fatorum quatient ſerenam
Pectoris arcem.
Cùm leues viſent tua tecta Caſus,
Lætus occurres: præeunte luctu
Fauſtitas & Pax ſubeunt eoſdem
Sæpè penates.
Dextra ſors omnis gerit hoc ſiniſtrum,
Quòd facit molleis: habet hoc ſiniſtra
Proſperum, quem nunc ferit, imminenteis
Durat in ictus.
Ille qui longus fuit, eſſe magnus
Deſinit mœror, facilem ferendo
Finge Fortunam; leuis eſſe longo
Diſcit ab vſu.

AD PVBLIVM MVNATIVM.

Mœrorem animi colloquiis & cœtibus amicorum temperandum eſſe.

ODE V.

SI quæ iuuabit dicere ſaucium,
Permitte, PVBLI, compoſitam malè
Loqui cicatricem, & latentes
Parce animo ſepelire curas.

Secura

Secura ferri robora sæpiùs
Occultus ignis subruit: & super
Minora siluarum caducum
Traxit onus, nemorumque famam
Strauit virentem; quam tonitru leui
Quondam fauillâ lambere gestiit
Impunè. Te longus silendi
Edit amor, faciles que luctus
Hausit medullas. fugerit ocyùs
Simul negantem vísere iusseris
Aureis amicorum, & loquacem
Questibus euacuâris iram.
Olim querendo desinimus queri,
Ipsoque fletu lacryma perditur:
Nec fortis æquè, si per omnes
Cura volat residetque ramos.
Vireis amicis perdit in auribus,
Minorque semper diuiditur dolor,
Per multa permissus vagari
Pectora, nec rediisse quondam,
Pulsus superbit. Vise sodalium
Cœtus: & vdis sic temerè iace
Infusus herbarum lacertis,
Ad patrij leue murmur Hallæ.

AD MARCVM SILICERNIVM.

Veras esse diuitias, quæ à bonis animi petuntur.

ODE VI.

NVmquam præcipiti credulus aleæ
Cum Fatis auidas composui manus,
Vt mecum taciti fœdere prælij
Æquâ pace quiescerent.
Quid Fortuna ferat crastina, nesciam,
Heres ipse mei. Quas dedit, auferet,
Non auellet opes, quæ procul extimo
Semotæ spatio iacent.
Quæ possunt adimi, non mea credidi;
Numquam pauperior, si meus integer.
Regnum, MARCE, mei, si benè de meis
Vectigalia censibus
Intra me numerem. Pars animi latet
Ingens, diuitibus latior Indiis,
Quo non ter spatio longiùs annuo
Itur nauibus aut equis.
Sed mens assiduum visitur in diem
Hospes sæpè sui; non ebur, aut nouas
Mercatura dapes, ipsa sui satis
Dives, si sibi cernitur.

In turpem sæculi Auaritiam.

ODE VII.

FRustrà querelis & gemitu parùm
Deliberato fleuimus, arcium
Portas & emunita sæuo
Mœnia procubuisse ferro.
Tot ciuitatum clade super parùm
Peccauit ensis, quando labantium
Infirma murorum reperto
Oppida suffodiuntur auro.
Eheu! secundum militis ad latus
Primus resedit sedulus artium
Fossor pudendarum, & decoros
Explicuit sine sole vultus
Vicina iuxta pocula lætior!
Cesserê seruis tela ligonibus!
Plebeius (heu nefas!) equestri
Malleus associatur hastæ!
Pax ipsa bello deterior subit,
Cùm vilis auri belligeras amor
Pacauit iras, & repensis
Prælia detonuêre nummis.
Pugnare dignos sole palam duces
Celant opacæ nobilis obsides
Auri cauernæ. iam caduci
Desuper intremuêre colles:
Nolunt adeso iam dubiæ solo

Pendere

Pendere turres. excutit impios
Tellus colonos, in ruinam
Ambiguis agitata campis.
Fugêre turpes agricolas agri:
Insons auaris littus ab vrbibus
Migrauit, & contaminatos
Æquora deseruêre portus.
Natura magnis dum sepelit nefas
Rerum ruinis, vitrea fontium
Obleuit ora, vt nauigatos
Sicaniæ Venetæque merci
Puniret amnes. Vidimus Aufidum
Nusquam repertas, arua per Apula,
Quæsisse ripas, cùm sequacem
Distinuit malus error vndam,
Hausitque nubes vallibus integras
Turbo soluto plana per alueo,
Regum piaturus penates
Flagitiis, populique noxâ.

AD ÆLIVM CIMICVM, in Russiam citeriorem profecturus.

ODE VIII.

Æli, non sumus arbores:
Vt quo quisque loco natus, inutili
Duret perpetuùm morâ.
Nolis cæruleas Sarmatiæ domos,

Et

Et canæ iuga Russiæ
Intentata mihi, dum Zephyri vocant,
Et siccæ niuium viæ:
Non frustrà properis imposuit rotis
Currus Iapeti genus;
Et terram pauidos linquere nauitas,
Pictis non sine carbasis,
Remorum celeri propulit agmine:
Non frustrà patiens equi
Se sternit mediis trames in Alpibus.
Magno dignum iter Hercule,
Naturæ ingenium struxit, idoneis
Dimensum iuga passibus,
Quà se præcipiti Gloria vertice
Lasso ostenderet Herculi;
Dignatusque sequi pergeret Annibal,
Regnumque ac Libycos manu
Attollens populos Æoliam super,
Et tristes nebulis domos
Armatam Italiæ infunderet Africam.
Non soli loca quærimus:
Nusquam fixa satis Pergama transeunt,
Teucrique & Dolopes migrant.
Mutant magna suas regna vices: nihil
Perstat, quo genitum est, loco.
Cùm primùm geniti matris inertia
Terræ viscera rupimus,
Moti particulam traximus ætheris:

Cælique ingenio patris,
Cum matre immemores ſtare, cucurrimus.

PANEGYRIS ANNÆ RADIVILIÆ CASTELLANÆ TROCENSIS DVCISSÆ NESVISII.

ODE IX.

QVo te Dearum nomine conſecrem,
Vicina cani Nympha Boryſthenis?
Themíſne, an vna Gratiarum
De tribus excipiêre Diuis
Scribenda Drie? cedit aquis tibi,
Vtcumque pictis fertur oloribus,
Cretâque, & innantem relinquit
Oceano Cytherea Delon.
Hinc & ſeuero migrat ab Algido
Parùm ſerenis Cynthia cornibus,
Quamuis anhelantûm laceſſat
Ira canum, tereteſque rumpant
Virgulta damæ. Sed tibi dulciùs
Tranquilla rident Palladis otia,
Seu tela non mendax retexto
Bella virûm ſimulare in auro
Menſem fefellit, ſeu tibi Cælitum
Veſtire nudas ſpiritus incidit

Aras,

Aras, & aulæis, & ostro
Pauperibus placuisse Diuis.
At non inani fama canit tubâ
Te vi potentis non sine consilî
Ventura tangentem sagaci
Mentis acu celeriqúe curâ.
Tristis videri prodit, & vnicè
Sibi serenis peruigil in genis
Lucet venustas: seu coruscum
Cæsariem tibi pingit aurum,
Non indecoræ nube modestiæ
Extinguis aurum vilius aspici,
Gemmasque nolentes latere
Moribus ingenioque celas.
Hinc inde rubris Creta coralliis,
Illinc smaragdis fulguret India;
Cùm pura Virtus fulsit, omnes
In tenebris latuêre gazæ.

AD MVSAM.

LAVDES LADISLAI PRINCIPIS POLONIÆ ET SVECIÆ.

ODE X.

CArminum præses cytharæque Clio
Dic, vbi molli resupina somno
Feta rumorum cubet eruditis
Fama sub antris?

Rumpat ignauos, age, dic, ſopores
(Nam locum noſti) nimiúque feſſa
Somnij, tergat niueo morantem
Pollice ſomnum.
Theſpio currum moderante loro,
Solis auratas, age, dic, quadrigas
Scandat, & claros gemino triumphos
Differat orbi.
Narret hibernis Helicen pruinis
Barbaro nuper caluiſſe tabo.
Narret Arctoo rubuiſſe canum
Sanguine Pontum:
Prodigus laudes tibi fundet Indus
Oſtiis ſeptem; tibi diues æris
Accinet Lydus; tua voluet ingens
Nomina Ganges.
Te canent ſolis Garamantes aruis,
Te Dacæ Princeps, pluuiáque pauper
Maurus, & Cydni, vitreíque diſcet
Potor Enipei.

LAVDES FRANCISCI CARDINALIS BARBERINI.

ODE XI.

QVis me citatus pectoris impetus
Denſo ſedentem propulit aëre,
Curruſque nimborum morari, &
Per medias equitare nubeis,

Et

Et plana terrarum, & populi casas
Regumque turreis non sine gaudio
Calcare sublimem, & superbo
Regna superuolitare curru?
Rerumne falsâ ludor imagine?
An picta mundi mœnia, & igneas
Arces, coronatumque flammis,
Et liquidum sine labe solem
Præuertor? hîc & patria siderum
Clarusque cæli baltheus aurei,
Campique stellarum, & decemplex
Perpetuo redit aula gyro.
Quâ parte cæli Principis aureas
Inscribo laudes? hinc adamantinis
Æternus Orion in armis,
Et gemino propè Castor igni
Fortem reposcunt. hinc grauis Hercules
Famæ propinquum postulat Herculem:
Hinc noctis immunem & veterni
Parrhasij vocat ora plaustri.
Acrem & timori cedere nescium
Addam Leoni: quem penes igneæ
Æstatis aruorumque cura, &
Flaua Canis Cererisque regna.
Iustam & tenacem propositi manum
Mundi serenis partibus asseri
Expectat Autumni Virago:
Quæ geminam sine fraude Libram

Æuiáque frænos, & celeres vehi
Compeſcit horas; hinc tibi patrio,
FRANCISCE, *cedentes Olympo*
Pleïadas Hyadaſque cerno:
Illic laborat Phoſphorus hoſpitas
Laxare nubeis: hinc tibi lucidus
Collumque repenteſque cælo
Scorpius abſtinuiſſe chelas,
Auroque comptum Marmaricus Leo
Crinem totondiſſe, & radiantium
Opima villorum, & iubatas
Velle polo reuocare flammas.
Inſculpta cælo gloria ſoſpitat
Heroas: anni cetera ſubruunt.
Aulæque ſceptroque, & columnis
Excidium ſua dixit ætas.

AD AVRELIVM FVSCVM.

Omnia humana caduca incertaque eſſe.

ODE XII.

SI primum vacuis demere corticem
Rebus, FVSCE, velis, cetera diffluent
Vernæ more niuis, quæ modò nubium
Leni tabuit halitu.
Formoſis reſeces fortia; diſplicent.
Externis trahimur: ſi malè Dardanis
Reſpondens Helenæ pectus amoribus
Famoſus videat Paris;

Nuſ-

Nusquam per medij prælia Nerei
Ventorumque minas splendida deferat
Graij furta thori. sed benè mutuo
Rerum consuluit iugo
Naturæ Dominus, quòd niueis nigra,
Lætis occuluit tristia. qui bona
Rerum de vario deliget agmine,
Consulto sapiet Deo.

AD MOSCOVIAM.

Cùm Principem Poloniæ Moschi in imperium accerserent.

ODE XIII.

Moscua, cur iniquas
Aureis frustrà pharetris diminuis sagittas?
Vulnera cur adacto
Dirigis ferro? cohibe stridula contumaci
Barbara tela neruo.
Iam tibi Mauors facili molliit arma risu:
Iam tibi mulcet iras:
Iam tibi frontem lepido temperat in sereno:
Iam cecidêre tela:
Iam pharetratis clypeus demigrat è lacertis,
Quid lacrymosa toruam
Exaras rugis faciem? quid melius supinis
Fletibus astra poscas?
Quid bono Diui melius mittere Rege possint?

A D

Consensit æquor. Te decoro
Nobilitas comitata gressu
Centum vetustas nectit origines,
Centumque retrò per populos fluit
Ceris auorum: nec seueræ
Martis opes, Aquilæve desunt,
Censusque & almæ vulgus adoreæ
Anciliorum, & stemmatis, & togæ,
Fasceſque, laurique, & frementûm
Turba retrò Titulorum inaneis
Exercet auras, non sine Plausibus,
Famæque & aureo Nominis essedo,
Quod turba mirantûm, & curule
Frænigerâ trahit aure vulgus.
Iamque & virentis vere puertiæ
Malas amictum, purpureus simul
Autumnus irrepsit decoras
Flore genas, per aperta latè
Effulgurantum culmina siderum
Effræna curru iungere fulmina,
Nubeisque præteruectum & imbreis
Quadriiugis dare lora ventis
Miramur omnis turba minor pedum:
Supina curuo poplite ciuitas,
Votisque, & obtutu sagaces
Puniceum iaculamur axem:
Vnde & coruscis oppida mœnibus,
Pictumque velis æquor & insulis,

Regum-

Regumque turres barbarorum, &
Attonitas specularis vrbeis.
Tu regna ventorum, & pelagi grauem
Compescis iram, tu vaga siderum
Crystalla frænas. tu frementeis
Lucis equos, vigilesque mundi
Metaris igneis: te penes Æquitas,
Et septa Tuscis Iura securibus
Stipantur; annosæque Leges,
Et niueum sine cæde Iustum.
Tecum supellex aurea, & asperi
Gemmis tiaræ: te radiantium
Nexus coronarum, sereni
Regum apices, lituique circum,
Et regiarum sidera frontium,
Mitræque fulgent, & diademata
Ad vsque formosam diei
Inuidiam, opprobriumque solis.
At retrò flauum lambere pulueren
Liuor rotarum, & degeneri solum
Mento cecidisse, & procacem
Mœret humi posuisse vultum:
Plenoque nusquam Diuitiæ sinu
Gazæque, & omnis turba Pecuniæ,
Et grando gemmarum, & refusi
Per populos vagus imber auri.
Tu lene Tormentum ingenio admoues,
Menteisque dulcis nectare Gloriæ

Plerumque mulces: te feracem
Consilij, facilemque vendi
Emisse doctus circuit Ambitus,
Fucoque & albis vestibus vnicè
Formosus, agnoscique duplex,
Et placidæ sine nube rugæ,
Risu serenæ frontis idoneus
Mirè sagacem fallere curiam,
Discrimen obscurum dolosis
Artibus, ingenioque morum.
Spes mille circùm nubibus insident,
Plenoque regni pectore turbidùm
Bacchantur: at turpes Repulsa,
Et volucris fuga ridet auræ.
Te quamquam anhelantûm ignea siderum
Suspirat ædes, Principis aureos
Inuise posteis. hîc ruinas
Imperij, seniumque mundi
Curare solers, desine tristium
Tandem querelarum, & potiùs sacrâ
Incude diffingas in aurum
Sæua Ducum Procerumque tela.

AD

AD APES BARBERINAS.

Melleum veniſſe Sæculum.

ODE XV.

Clues Hymetti, gratus Atticæ lepos,
Virgineæ volucres,
Flauæque veris filiæ,
Gratùm fluentis turba prædatrix thymi,
Nectaris artifices,
Bonæque ruris hoſpitæ,
Laborioſis quid iuuat volatibus,
Crure tenus viridem
Perambulare patriam,
Si BARBERINO *delicata Principe*
Sæcula melle fluunt,
Parata vobis ſæcula?

AD SEIPSVM.

ODE XVI.

Quid diu vanas feriente nubeis
Vota fallaci iaculamur arcu?
Quid loquor dudum mihi Conſul ipſe,
Ipſe Senatus?
Ite mordaces procul ite curæ,
Me vocat notis Helicon viretis,
Me ſacrum lauri nemus, & canorum
Phocidos antrum.

O vbi molles Heliconis vmbræ,
O vbi Cydnus, violisque pictum
Thespiæ rupis caput! ô sonori
Flumina Pindi!
Me quis ad vestros Aquilo recessus,
Aut quis alatâ Zephyrus quadrigâ
Deferat fessum, gelidosque Cirrhæ
Sistat ad amneis?
Vos mihi Romam, Phrygiisque centum
Pendulas saxis simulatis ædes;
Vos Auentinum Capitoliique im-
mobile saxum.
Hîc vbi leui cecidêre musco
Virgines vndæ, vitreoque garrit
Ore Clitumnus, nimiumque labi
Sedulus Almon:
Hippocreneis abiêre riuis
Pegasi fontes, Aganippidumque
Murmur, & cantus, & euntis agro
Copia lymphæ.
Alter hîc Lyris fugit, alter Vfens,
Alter illimi Thrasimenus amne
Trudit electrum, liquidoque Plæue
Voluitur auro.
Hîc ad Empusæ nemus, & virentem
Æsaris ripam studiosa florum
Aura colludens cumulo iocantis
Obstrepit vndæ.

Lenis

Lenis hîc auræ tepor, hîc venuſtas,
Hîc nitor rerum, melioréque cæli
Vultus, hîc plenis agitata manant
Gaudia ripis.
Hîc ſales compti, facileſque riſus,
Hic leuis circùm iocus, & decentes
Gratiæ plenos referunt reſecto
Flore quaſillos.
Hîc mihi ſeptem meliùs renident
Romuli colles, gracileſque venti
Leniùs perflant gelidam ſupini
Tiburis arcem.
Collis ô ſacri decus, ô magiſtrum
Numen, ô Graiæ fidicen Camœnæ
Phœbe, ſi geſtis procul arduo de-
ſcendere Cyntho,
Huc ades longi mihi teſtis otî:
Tuque (nam me quis prohibet?) repoſta
Affer inprimis mihi, FVSCE, *grati*
Carmina Flacci.

AD TIBERIM.

Eum Beneficentiæ & Liberalitatis VRBANI VIII. Pont. Opt. Max. Symbolum fore.

ODE XVII.

Tibri ſiſte precor, nec rapidæ regna licentiæ
Iactaris temerè: neu Latij littora Nerei

Vnda-

Vndarum nimio deciduus plauſeris agmine.
Quid per plana, per abrupta, per imperuia lubricum
Vectigal domino deproperas Nereidum patri?
VRBANI patulæ credideris flumina dexteræ:
Tunc ſeu melle fluent, ſeu rutilis ſæcula fontibus,
Fies auriferis nobilior fabula Lydiis.

LAVDES FRANCISCI CARDINALIS BARBERINI.

ODE XVIII.

HIc ille plenis Oceanus patet
Laudum carinis; ite loquacia
Per tranſtra, facundiſque Muſæ
Carmina deproperate remis.
O qui loquentis flamine ſibili,
Leniſque ſacræ nubis aethelitu
Impellis antennas, Notorum
Alba ſuper volitare terga
Doctus, procellas & biuges celer
Frænare nimbos, huc age Delphicâ
Lauru, coronatamque myrto
Pegaſeæ dominator undæ
Inſcende puppim. Quod timidi priùs
Sulcemus æquor? quod pelagus ſtum
Fundoque virtutum, & refuſæ
Per populos maria alta famæ
Vates profundæ nauita gloriæ
Inuiſat? illinc alta frementium

Moles

Moles procellarum, & proteruæ
Fluctibus intonuêre lymphæ.
Hæc illa parci neſcia littoris,
Auara cæli, prodiga munerum
Bacchatur, & pecuniarum
Cæruleo pluit aura nimbo.
Hæc illa magni pectoris indoles
Seſe ipſa rerum fluctibus erigit,
Curaſque & alternis natantem
Conſiliis animum remiſcet,
Vindex auaræ fraudis, & abſtinens
Lucrantis auro regna pecuniæ,
Rerumque prudens, nec cruentæ
Laudis iners, animique parca.
Hinc æſtuantûm mota ſuperbia
Subſedit vndarum, & procul arduum
Ad littus acclinata blando
Æquora decubuêre ſomno.
Hoc illud alti Principis otium
Clauſum quieti vecte ſilentij;
Somnique curarum, & labore
Empta quies, animique veſper
Longi repenſus merce negotij.
Cùm dulcis inter clauſtra modeſtiæ
Sceptrumque & immenſis reclinat
Regnum humeris, oneriique parcit,
Obliuioſus diſſipat Heſperus
Regum labores. damna fugacium

Plerumque curarum reponunt
Peruigiles ſine nocte ſomni:
Aulæ nitorem cùm benè neſciæ
Texêre noctes, nobilium ſimul
Pompam cateruarum retexit
Clara dies; redière curæ.

AD MILITARES EVROPÆ ORDINES.

De Prouinciis Græciæ recuperandis.

ODE XIX.

SI quem cruentæ vultus adoreæ,
Si fuſus auro miles, & inclyti
Vrunt in argento triumphi
Artifici ſimulante dextrâ,
Sculptæque laudes, & titulis ſuper
Afflata ſignis vita Corinthiis,
Cultuſque, moreſque, & perenni
Pænè loquax ſua fama ſaxo:
Hic ſi locari pòſt genitis ſacer,
Et per nepotum lucidus atria
Quærit videri; deſtinatam
Funeribus meditetur aram,
Vultumque vultu fingat Achillei,
Dextramque dextræ commodet Hectoris,
Dignus Timantheâ notari
Arte, Syracoſioque cælo:
Letique curtâ merce perennius
Lucretur ævum, quos ſibi dempſerit

Caris

Caris redonaturus annos
Coniugibus, puerisque caris.
Hic si timendus gestit aheneis
Horrere squammis, quem litui sonus
Sæuique coniurata Martis
Signa vocant, clypeo subire,
Sparsumque crinem versicoloribus
Mutare cristis, & rapidum vehi
Dum per reiectanteis lacertos
Ambiguæ fluitent pharetræ:
Illum palustri consita fraxino
Poscit Methone, poscit Acarniæ
Lacus, Tanagreique saltus,
Aut graciles Marathonis orni,
Gnossosque telis, & resonum graui
Stymphalon arcu: non chalybum rudis
Lemnos, nec inconsulta ferri
Phocis erit, nec inermis Oea.
Si rursus idem bella fidelibus
Committat Euris; æquoris impiger,
Veloque & obluctante remo
Ortygiis equitabit undis.
Illi Cytori pinus, & hispidæ
Cupressus Idæ brachia frondium
In transtra, & hærentem carinam
Contrahet; æriſonamque puppim
Non imperito remige muniet
Eubœa: remos Thespia suggeret,

Ausamque despectare nubeis
Veliferam dabit Ossa pinum:
Aut qui comatas educat ilices
Caycus, aut qui limpidus assitas
Mæander intercurrit alnos,
Aut dubij vagus error Hebri.
Nec si superbus poscat eques vehi,
Pugnæ scientes Ismara denegent
Pullos, relicturasque retrò
Aut Noton, aut Aquilona plantas,
Si bellicosos proruat accolas
Seruilis Æmi, sparsa sequi celer
Vexilla, palantemque Lunam
Æmoniis agitare campis.
Illum & colossis conspicuum dabit
Venalis omni funere gloria, &
Doctis renascentem metallis
Orchomenos, vel amica viuum
Non peieranti marmore Neritos
Ementietur, nec Capitolia
Mutum, Palatinæve moles
Stare sinent sine laude ciuem.

AD

AD AVLVM LÆVINIVM.

Visnouij Poloni Equitis virtus, cuius interempti pro patriâ Cor, per summam barbariem, inter se partiti Turcæ, & depasti sunt.

ODE XX.

EHeu! quò cytharæ sciens,
Et Bacchi calidis feruida iurgiis,
LAEVINI, *ruit indoles,*
Imbellem strepitum, & docta procacibus
Saltum fingere classicis,
Auditoque choros cogere tympano,
Et mensam clypeo super,
Et plenum galeis ducere Liberum!
Non hoc pectore Thracios
Inter Sarmatici fulmina prælij
Fudit VISNOVIVS *globos,*
Et Thracum volucres contudit impetus.
Ille & sanguineis super
Fumantùm cumulis hæsit Iazygum, &
Alti nauita sanguinis
Portum non soliti nominis attigit.
Illum Thraces Achaicis
Rimati gladiis, pectoris inuia
Dimouêre repagula:
Et cor, & tepidâ morte fluens iecur
Deuesci, & pia carpere
Ausi sacrilegis viscera morsibus.

At non egregiam quoque
Libarunt animam, nec Mareoticas
Pauit fama libidines,
Aut ſecura Getæ dentis adorea.
Eheu, ſtringite poſteri,
Ferrum belligerâ ſtringite dexterâ.
Heu primam gladij ſitim
Pubes Odryſiis imbue cædibus,
Confoßiſque reciprocum
Rurſum pectoribus reddite ſanguinem,
Dudum in corpore Biſtonum, &
Venis immeritum feruere barbaris.

AD PRINCIPEM QVEMDAM AD THERMAS PROFICISCENTEM.

Iucundam & honeſtam vitam fructuoſæ & anxiæ eſſe præponendam.

ODE XXI.

REgias veto manus
Tagi ſerenis imminere riuis,
Vtili placet luto;
Fucumque nobis fluctuantis auri
Flauus allinit liquor:
Ex quo ſuperbi diues amnis Hermi
Sordidum lauit Midam,
Rudique limum duxit è Tyranno.

Ite,

Ite, mobili vitro
Albíve Cydni, lucidíve Xanthi,
Ite Principum manus,
Auri coruſcas ſubmouete labes.
Riuus integer vitî,
Suæque purus conſciuſque lucis,
Præterit fideliùs
Regumque ſomnos, Cæſarumque palmas.
Dulce purpuræ decus,
Tuam micantis innocens metalli
Amnis irrigat manum:
Midamque Princeps, Tantalumque rides.
Vitreus tibi latex,
Lymphâ ſequaceis euocante lymphas,
Lubricâ placet fugâ,
Quâ feruet Arnus, garrulumque pratis
Vnda promouet pedem,
Ripaſque pingit, candidique fontis
Vda voluitur dies.
Hîc thymbra poſcit, hîc amœniores
Humor educat roſas,
Et cana nardus, filiique Veris
Hinc & hinc bibunt croci,
Viuumque potant fluminis pudorem.
Hîc comata lilia
Paſſiſque Maius ambulat capillis.

AD

AD CÆSAREM PAVSILIPIVM.

Ne nimiùm adoleſcentiæ fidat.

ODE XXII.

Nec te, PAVSILIPI, fallat inanibus
Ætas deliciis, quæ ſimul impigris
Incertum rapuit curriculum rotis,
Effræno citiùs labitur Africo.
Mendax forma bonum deficientibus
Annis præcipitat, vitrea concuti,
Dilabi facilis, cerea diffluere
Hornæ more roſæ, quam modò roſcidum
Cùm fouit tepidis manè Fauoniis,
Diſſoluit pluuiis veſper Eteſiis.
Numquam quod rapido pollice texuit,
Audet compoſitum Parca retexere:
Nec reddit refluo ſæcula turbine.
Felix ille, cui non breue temporis
Momentum placuit, qui iuga mobilis
Æui depoſuit, qui ſibi lucidam
Iam nunc ſollicito lumine patriam, &
Arcem nobilium deſtinat ignium.

AD IVLIVM ARIMINVM.

Solis animi bonis nos belluis præſtare.

ODE XXIII.

NOn Hydaſpeis, ARIMINE, gemmis,
Non domus flauâ laqueata cedro,

Aurei

Aurei torrens neque te beatum
Fecerit Hermi.
Mitte ſectari, quis amœna præter
Prata, non parco fluat amnis auro.
Sit ſatis Virtus, animoſa ſedeis
Viſere Diuûm.
Alter effultos adamante muros
Tollat, aut cæſas Sipylo columnas,
Foſſor, inſpectâ Styge, quas reuulſo
Subruat Orco.
Ditior ſiluis habitat Sabæis
Ales Eois renouata buſtis:
Ditior gemmis rutilo vagatur
Piſcis Hydaſpe.
Alter Eois variam lapillis
Subliget zonâ retinente pallam:
Alter inſigneis Tyrio lacertos
Vinciat oſtro.
Gratiùs læues variauit alas
Sparſa natiuis philomela guttis;
Pulchriùs Threſſæ maculoſa pingunt
Pectora Lynces.
Tonſa nos veſtit pecus, & luporum
Terga mentimur, neque flaua veſtem
Dedecet vulpes, & abacta cæſo
Caſtore pellis.
Vna mortaleis numero ferarum
Eximit virtus, volucerque notas

Siderum ſedes animus ſolutis
Viſere pennis.

AD IOANNEM RVDOMINAM.

In funere Georgij Rudominæ fratris.

ODE XXIV.

Qvalis triſulci fulminis impetus,
Quem Dædaleis feta vaporibus,
Pinguémve pabulata terram
Per medias rapit ira nubes,
Faſtidioſo cùm ſemel excidit
Immurmurantûm carcere nubium,
Per regna ventorum, per auras,
Et dubias Aquilone ſiluas,
Per arua latè, per iuga concito
Graſſatur igni: iam capitis minor
Aut Æmus aut percuſſa Calpe
Non humiles poſuêre faſtus;
Interque diras Dux equitat faces
Communis omnes per populos Timor,
Et ponè ſtrages, & ſupino
Deproperata ruunt tumultu
E nube Fata, non ſine montium
Clamore, longus quem glomerat fragor
Volentis audiri ruinæ,
Et volucrum furiæ Notorum.
Talis ſuperbis irruit hoſtibus,
Mortis decoro puluere ſordidus,

Et

Et per Muſurmannos honeſtam
Explicuit RVDOMINA *pugnam.*
Illum futuræ laudis & inclytæ
Mercede famæ Gloria mentium
Regina, nundinata morti,
Per medios rapuit Gelonos.
Quam ponè Virtus, & Decus, & comes
Inuurioſæ Relligio necis,
Per tela, per formidoloſos
Quadrupedantûm onagrorum hiatus
Exercitati militis, obuio
Venale fato proſtituit caput;
Sed viſus haud venire paruo
Magnanimus RVDOMINA *leto.*
Nam dum duelli lætior, hoſtica
Opprobriorum murmura vindice
Excuſat enſe; barbararum
Immortuus aggeribus cohortûm,
Præfecta tandem colla volubili
Lapſu reclinat. ſed famulâ propè
Decuſque præſigniſque Virtus
Semianimem ſubiêre dextrâ:
Mox expeditis corpore manibus,
Deprædatrix Gloria ſiderum
Occurrit, & fuluo reclinem
Ire iubet ſuper aſtra curru.
At fama latè tergemino Tubæ
Longæua cornu ſæcula perſonat.

Io triumphe, viuit Astris
Ille meus RVDOMINA, *viuit.*

AD IOANNEM RVDOMINAM.

In funus Ioannis Rudominæ patris.

ODE XXV.

QVemcumque mendax fama Quiritium,
Et dedicatis densa clientibus
Corona, iuratisque stipat
Imperij comitatus armis,
Quamuis Lacænâ picta superbiat
Sub veste tellus, & famulantium
Iuxtà lacertosæ cohortes
Et clypeis radient & hastis;
Nec peruicacis ludibrium Deæ,
Nec concolores consilio Dolos
Vitabit, aut circumsonantes
Nobilium fugiet tumultus:
Nec concitato pectoris impetu
Nitente mentis remigio, soli
Ignauus hæres, innatantes
Cæruleum per inane campos
Peruadet vmquam: quippe volubili
Negotiorum puluere sordida,
Glisscente curarum tumultu,
Mens humiles remoratur alas:
At quem supernis sedibus intulit
Mors, & profanis præcipitem procul

Furata

Furata terris. quò ſolutus
Præpetibus RVDOMINA *pennis*
Exerrat! ohe! quò per inhoſpitas
Afflata leni pectora flamine
Nubes, inacceſſoſque tractus
Et ſuperas agit inter arces!
Non vſitatis ille volatibus
Præuectus vdas terrigenûm domos,
Cœtuſque vulgares, beatæ
Non humilis venit hoſpes aulæ.
Illum miniſtrâ Relligio manu,
Et delicato pectoris eſſedo
Euexit inconcuſſa Virtus,
Et ſuperis dedit ire campis.
Exſtructa quondam celſa fauentibus
Delubra Diuis Munificentia
Penſauit auratis Deorum
Hoſpitiis, famuloque cælo.
Hîc vel coruſco ſe propè ſiderum
Curru locabit, vel propior Deo
E nube reclinis curuli
Sub pedibus ſua fata cernet:
Regúmve toruos ſubter acinaces,
Et regiarum ſidera frontium,
Et tot Tyrannorum videbit
Suppoſitos radiare faſces.
Et hæc ſtupebit, quæ propiùs micant,
Obſcura craſſo ſerpere nubilo,

Lateque casuras per urbes
Ora sagax oculosque ducet.

IN FVNERE ERNESTI VEIHERI PALATINI CVLMENSIS FILII, VITA IMMATVRE FVNCTI.

ODE XXVI.

POrrectus imo nec scopulus vado,
Cautésve pronis amnibus imperat
Moras, neque vndantem morantur
Fluminibus caua saxa lapsum:
Nec irretento prætereuntia
Tempus retardat sæcula cardine:
Nusquam fatigatos Orion
Soluit equos properante curru.
Annos & horas præpetibus rapit
Latona bigis. irreuocabilis
Decurrit, effetamque prona
Accelerat cariem iuuentus.
Apollinari nuper in agmine,
Florentis æui limine vidimus
Stantem VEHERVM, *lacrymoso*
Præcipitem cecidisse fato.
Mox vt caducis artubus ingruit,
Mors æstuosis torrida febribus,
Ferocientes deuoluta
Stamina diripuêre Parcæ.

Can-

Candente byſſo penſa fluentia
Rupêre nodos: occidis, occidis,
ERNESTE, *ceu quondam procellis*
Exanimes cecidêre nardi:
Ceu dum per hortos cæruleâ manu
Deſæuit vdus Iuppiter, imbribus
Sterni reluctantes acanthi
Laſſa ſolo poſuêre colla.
Quid Mors ſuperbo pectora turbine
Inſana victrix ſurrigis, inſerens
Terris triumphales cupreſſos,
Et mutilam ſine fronde taxum?
Mentis pudicæ candor, & indoles
Firmata fauſtis ſub penetralibus,
Cultuſque diuinæ parentis,
Fixa locant monumenta terris.
Vidit benignis moribus aureum
Felix Lyceum, vidit imaginem
Virtutis ERNESTVM *paternæ,*
Et ſimilem proauis Nepotem.
Sæui tropæum funeris ardua
Virtus profundo præcipitat ſolo.
Sublime Veiherana Virtus
Sidereo caput æquat orbi.
Illam ſecundis Gratia brachiis,
Altuſque curru Rumor eburneo
Ad aſtra ſuſtulit videndam
Attonitæ volucrem iuuentæ.

IN

IN PRIMI LAPIDIS IACTV, cùm IOANNES CAROLVS CHODKEVICIVS contra Osmanum Turcarum Imperatorem signa moturus, Templum VIRGINI MATRI Crosensis Societatis IESV Collegij extrueret.

ODE XXVII.

Diuûm locatus consilio Lapis,
Et dedicati liminis arbiter
Quàm ritè de cælo migrantûm
Hospitio superûm coruscat!
Non tot fremebat littus Olympiis
Olim cateruis, Graia Corinthio
Dum lustra certatim Tonanti
Instabilis celebraret Isthmos.
Te quippe Diuûm turba domesticum
Marmor superni ciuibus ætheris,
Magnæque maiestas Parentis
Perpetuis habitabit annis.
I, perge felix, & latebras cauæ
Telluris intra: quâ tibi tutior
Templi superuentura moles
Fortibus insideat columnis,
Hic nempe quisquis sacrificas manus
Inaugurato tinxerit vnguine,
Cælumque, solemnesque sacris
Muneribus cumulabit aras,

Et

Et fronte plenum lætitiæ diem,
Intaminatis pulcher honoribus
Ostendet aris, & serena
Per solidum feret ora vulgus:
Plebisque denso celsus in agmine
Diuina cælo tendet adorea,
Quæ terra, quæ supplex adorat
Compositis pelagus procellis.
Nec verò surdis sideribus preces
Conchyliato murice fulgidi
Mystæ feretis, dum fauenti
Pro CAROLO, *Carolique castris,*
Optata Diuis vota litabitis.
In ore vestro sollicitus suas
Spes ille librat; & Tonanti,
Et Patriæ sua sacrat arma.
Effræna vestrâ detumeant prece
Formidolosæ bella Propontidos,
Et læuus Ister, & Gelonus
Vipereo metuendus ictu.
Illuc citato Martis in essedo
Toto vehatur CAROLVS *impetu,*
Et concatenatos superbis
Massagetas trahat in triumphis.
Iuxtà fauentùm cura Quiritium
Densisque Laudes agminibus Ducem,
Et Plausus, & depurpuratis
Gloria concomitetur armis.

AD ABRAHAMVM BZOVIVM.

De sacrâ Annalium Historiâ Evgenii IV.

ODE XXVIII.

Qvalem è niuosis Eridanum iugis
Primo cadentem leniter agmine
Festæ Napæarum cateruæ
Traijciunt, hilarique circùm
Plaudunt natatu: mox vbi prodigus
Et temperati marginis immemor
Prorupit, & præterfluentis
Regna procul populosque lusit
Errore lymphæ; degeneres simul
Ripâque & immensi hospitio aluei
Dignatus amneis, atque aquosum
Immodico bibit ore cælum,
Siluisque & aruis latiùs imperans
Ripam euagantis seditionibus
Metatur vndæ, iam natari
Difficilis, nimiusque campi,
Venti pauentem non benè sustinet
Dorso phaselum, lætior arduas
Subire bellantûm carinas,
Et galeis clypeisque longè
Clarus videri, donec Iapygas
Amneis auari fluctibus Adriæ
Summisit, & maiore ponto
Veliuolum dedit ire Martem:

Sic

Sic te fluentem leniter aureæ
Torrente linguæ, prima per Italas
Clamata defatigat vrbeis
EVGENII *pia cura patris.*
Qui bella Regum, & illachrymabileis
Rerum tumultus flectere prouidus
Mundi laborantis ruinas
Extulerat subeunte collo,
Sacrique Veri solliciti Patres
Quos infidelis littora Bosphori,
Rubrive submisere ponti
Regna, Paretoniive Nili,
Lectum remotis consilium plagis
Rerum potentem visere Tusciam, &
Leges peregrinosque ritus
Dardaniis sociare sacris.
Hic tu profanis cassa furoribus,
Doctisque narras prælia vocibus
Pugnata, clamatumque Martem,
Quà vitrei ruit amnis Arni.
Nec otiosæ more licentiæ
Exaggerato defluis alueo:
Sed plana per rerum profundo
Ore ruis, mediusque ripæ:
Mox & citato plenior impetu,
Linguæ sonoro flumine deuehis
Classemque & euagata longè
Ambracio pia bella ponto.

Quò nos auorum bella trahunt, retrò
Seri nepotes ibimus? ibimus
Pulchros redordiri labores,
Et veteres reparare palmas?
Solúsne palmas, solus Achaica
Obliuioſi nocte ſilentij
Abducit Abramus tropæa,
Et veteres reuocat triumphos?

AD BALTHASAREM MORETVM PANEGYRIS LYRICA.

ODE XXIX.

MVſas amantis gloria BELGII,
Et LIPSIANAE *ſidus adoreæ*
MORETE, *non tibi pudendo*
Ad cytharam veniente ſaxo
Grandem virenti Scaldis in aggere
Pono columnam. quam neque turbidus
Auſter, neque emotus refuſo
Subruat Oceanus profundo:
Sed quam recentes cum violis roſæ,
Omniſque circùm copia narium,
Latè coronent, aut perennis
Pampinus ambitioſiore
Irrepat herbâ: quam procul ardua
Pronis adorent ſaxa Cerauniis,
Septemque qui fulcit Triones
Carpatus, & Rhodope niualis

Colúm-

Columna cæli. iam mihi nubibus
Digressa moles æthera succutit,
Curruſque ſtellarum & tonantes
Siſtit equos, ſolitóque maior
Intrat trecentis astra decempedis;
Vnde & Latinis celsior Alpibus,
Canamque Pyrenen & Afræ
Despicias iuga celsa Lunæ.
Quæ prima, vel quæ testibus vltima
Incido saxis? nominis inclyti
Caligat in portu, & tuarum
Oceanum pauet ala laudum.
Inuſitatis ſumma nitent bonis:
Parumque lucet Gloria, quæ ſimul
Illustrat insignes & imos,
Et proprio magis igne pulchra est.
Ignota Thuſcis nomina Cæſarum
Squallent ſepulchris: quas tulit extimus
Splendor, verecundis ſepultæ
Noctibus occubuêre laudes:
Et ſæpè Famam Liuor ab aureis
Detriuit aris. non Acherontius
Offundet ingratas, MORETE,
Inuidiæ tibi veſper vmbras:
Sed ipſe Liuor nominis in tui
Occumbet ortu. tu dominus tui
Diueſque, non debes caducæ
Ludibrium opprobriumque Diuæ;

Ex quo monentis munere LIPSII
Multo ſonantem Socrate porticum
Tyro celebraſti; perennem
Doctus emi benè poſſe laudem
Impendioſæ merce ſcientiæ:
Et ipſe ſacro plurimus otio
Palles, & externis amicus
Ingeniis breue per nepotes
Extendis æuum. Tu tacitam libris
Demis ſenectam: ſæcula Gratiæ
Muſæque, & impubes Apollo, &
Mercurius tibi debet annos,
Poſtquam diſerti flumina ſæculi
PLANTINIANAE *margine copiæ*
Latè refudiſti. Sacrorum
Cuncta ſedet tibi turba vatum;
Omniſque chartæ virginis æquore
Arundo ſudat. Vranies tibi
Nocturna certatim laborant
Otia, peruigileſque Lunæ.
Nam ſi quid vdâ fluxit arundine,
Torrentis æui corripit impetus,
Si non recudentis metalli
Duxit onus, celereſque plumbo
Tardauit alas; dum gracilis liber
In certa ductis cornua paginis
Increuit, argutumque chartæ
Sub grauibus gemuêre prælis

Multo

Multo ſonandis carmine legibus,
Ni me Camœnæ Pindaricas vetent
Tranſire Gades, & vagantem
Herculeæ moneant columnæ
Cœptam canoro non ſine carmine
Finire molem. Sunt alij tibi
Calles, neque vnum concitatis
Gloria currit iter quadrigis:
Namque & beati nobilis ingenî
Claudis capaci ſæcula pectore,
Hereſque Veri, ſeu quod olim
Socratici monuere cœtus,
Seu quod trienni nunc geminat potens
Stagira circo: plurimus eloquî,
Pennæque felix; nec latere
Aut humili placuiſſe vulgo,
Sed ciuis omni nobilium bonus
Noſci Senatu. te Latij Pater,
Qui nunc & Europes recline
Portat onus dominâque Romæ,
Doctis clientum cœtibus inſerit
VRBANVS. *io! tu placitum (pedi*
Jam ſtantis inſcribo columnæ)
Principibus populiſque ſidus.

AD AMICOS.

Se ad sacra studia animum appellere.

ODE XXX.

Vlxi canoris nuper idoneus
Vates Camœnis: iam cytharæ vetor
Sermone, defunctumque longo
Barbiton ingeminare cantu.
Iam feriatâ fistula cum lyrâ
Dependet vnco: rumpite tinnula
Vocalis argenti, sodales,
Fila, superuacuosque neruos.
O quæ coruscantum atria siderum
Seruas, & aurei leue perambulas
Mundi pauimentum, molestæ
Pelle Themi studium Mineruæ.

MATHIÆ CASIMIRI SARBIEVII SOCIETATIS IESV LYRICORVM LIBER QVARTVS.

AD EQVITES POLONOS.

Cùm montem Carpatum redux ex Italiâ inuiſeret.

ODE I.

AETERNA *magnis carmina Carpati*
Inſcribo ſaxis. Diſcite poſteri,
Caſtiſque diſcendum puellis
Et pueris geminate cantum.
Fruſtrà, Poloni, cingimus oppida
Muris, & arceis addimus arcibus;
Delubra ſi ſqualent, & altis
Cælituum viret herba tectis.
Fruſtrà caduci fulminis artifex
Moles ab altâ turre remugiit,
Si mœſta reſpondere cantu
Templa negant, ſuperumque pridem
Sacro ſtupeſcunt æra ſilentio.
Quòd ſi nec idem ſit ſuperis honos

Templis in îſdem, nec ſub vnâ
Lege ſuperſtitioſioris
Per ora vulgi relligio fremat;
Ciues iiſdem non benè claudimur
Portis, & infelix eumdem
Inſtruimur acies in hoſtem.
A plebe Numen ſeparibus malè
Placatur aris. ſcimus vt impias
Vaſtata Graiorum per vrbeis
Sacra ſuis periêre rixis.
Fumant propinquæ templa Bohemiæ:
Concuſſa Regni viſcera Pannones
Fleuêre collatis in vnam
Viribus incubuiſſe ſtragem.
Hinc inde lævos deſpice Carpato
Polone campos, quos pecorum ferax
Drauuſque Sauuſque, & bicornis
Frugifero ſecat Iſter amni.
Quanto careret corpore Thracius
Regni tyrannus, ſi benè mutuas
Menteis & obligata Diuis
Barbarus extimuiſſet arma!
Atqui timendæ Panno potentiæ
Vallârat altis oppida mœnibus;
Pontemque dedignatus, omni
Danubius famularis vndâ
Cingebat Vrbeis. ſed quid inutili
Poſſent ſceleſtæ præſidio manus

Quas ira non læti Tonantis
Riserit, indigetesque Diui?
Iam nunc Polonis fata Quiritibus
Edico vates: Dum tibi consona
Votisque cantuque & Sabæo
Thure calent precibusque templa,
Omnis recuruo Lechia poplite
Dum, Virgo, primâ, dum mediâ die,
Dum te salutamus supremâ,
Et dubio tibi lucis ortu
Septena coràm flamma Decembribus
Collucet aris; dum tibi patrium
Pæana dicit suppliceque
Accumulat pia turba ceras;
Noster niuoso Vistula Carpato,
Nosterque ab ipso fonte Borysthenes,
Labentur in Pontum, nec Austrum
Aut Gothicam metuemus Arcton.
Errorne mentes, ambiguas rapit
An clamor aures? vox grauior cauâ
Respondit è nube, & serenùm
Non dubij micuêre Diui.

AD STANISLAVM LVBIENSKI EPISCOPVM PLOCENSEM REGNI POLONIÆ SENATOREM.

ODE II.

SVnt & nouarum non vacuæ mihi
Laudum pharetræ. prome reconditum
O Musa telum: quem sonoro
Pieridum iaculemur arcu?
Sit meta Præsul, cui modò Plocia
Centum Poloni margine Vistulæ
Eduxit armenta, & smaragdis
Grande pedum, Tyrioque vittas
Inscribit ostro. se speciosiùs
Plerumque doctæ Palladis artibus
Indulget, & Musis amicam
Gaudet Honor redimire frontem.
Pulchro ligari fœdere gestiunt
Libris Tiaræ. Romuleas super
Aras Honori, & dedicatis
Thura ferunt eadem Camœnis
Arsisse quondam: sed vigil ambitus,
Si possit, ipsas Cælituum solo
Permiscet aras, atque ab alto
Astra rapit Superosque cælo.
Vester, Camœnæ, vester ad inclytas
Stat Præsul aras. vos adamantinam

Spar-

Sparsistis electro Tiaram,
Quà vitreo pretiosus amni
Pingit feracem Naruia Mœsiam:
Vos & bicorni Palladium caput
Pressistis auro, & gratulatâ
Carmina personuistis vndâ.
Vos pectus altum, consiliis simul
Absterfit atræ nubila patriæ,
Mulcetis, & fastidioso
Excipitis reducem Senatu:
Quondam & perenni viuere nobilem
Donastis æuo, cùm tulit aureos
Ad astra mores, atque auaro
Egregij monitus PSTROKONI
Inuidit orco, candidus eloquî,
Verique diues: vos, miserabili
Bellis inhorrescente Regno,
Consiliis facilique rerum
Firmastis vsu; ne popularibus
Fatiscat vndis, neu malè pendulis
Dextramque ceruicemque rebus
Subtrahat. ille meis legetur
Pars magna chartis; seu tenui lyrâ
Dicam Geloni fœderis otia,
Maiore seu plectro Lechæi
Arma virumque canam Gradiui.

AD CÆSAREM PAVSILIPPIVM.

Regnum ſapientis.

ODE III.

Latè minaces horruimus Lechi
Regnare Thracas. latiùs imperat,
Qui ſolus, exemptuſque vulgo
Certa ſui tenet arma voti.
Imbelle pectus parce fidelibus
Munire parmis; neu latus aſpero
Lorica cinctu, neu decorum
Arcus amet pharetræque collum.
An Cimber, an te lectus ab vltimis
Pictus Britannis ambiat, an Geta,
Nil allabores; ipſe miles,
Ipſe tibi pugil, ipſe Dvctor.
Exile regnum, PAVSILIPI, *ſumus;*
Sed ſe obſequentem qui ſibi ſubdidit,
Hic grande fecit; ſi ſuaſmet
Ipſe roget, peragatque leges.
Armata regem non faciet cohors,
Non tincta vulgi purpura ſanguine,
Aut nobili ſtellatus auro
Frontis apex, teretique gemmâ.
Rex eſt, profanos qui domuit metus:
Qui cùm ſtat vnus, caſtra ſibi facit;
Caſumque fortunamque pulchro
Prouocat aſſiduus duello.

Non

Non ille vultum fingit ad improbi
Decreta vulgi, non popularia
Theatra, non illum trophæa,
Non volucri mouet aura plausu.
Beatus, à quo non humilem grauis
Fortuna vocem, non tumidam leuis
Expressit vmquam, curiosis
Dum tacitus premit ora fatis.
Ad prima si quis vulnera non gemit,
Solo peregit bella silentio:
Celare qui nouit siniſtros,
Ille potest benè ferre casus.
Ille, & caducis se licet vndique
Suspendat auris pontus, & in caput
Vnius & flammas, & vndam, &
Vertat agens maria omnia Auster,
Rerum ruinas, mentis ab arduâ
Sublimis aulâ, non sine gaudio
Spectabit, & latè ruenti
Subiiciens sua colla cælo
Mundum decoro vulnere fulciet;
Interque cæli fragmina, lugubre
Telluris insistet sepulchrum, ac
Incolumis morientis æui
Heres, ab alto prospiciet, magis
Hæc magna quàm sint quæ pedibus premit,
Quàm quæ relinquet; iam tum Olympi
Non dubius moriturus hospes.

Quò cùm volentem fata reduxerint,
Nil intereſt, an morbus, an hoſticus
Impellat enſis, quò ſupremum
Vrget iter. ſemel aduehemur
Quam nauigamus ſemper in inſulam:
Seu lata magnis ſtrauimus æquora
Reges carinis; ſeu Quirites,
Exiguâ vehimur phaſelo.
Illo beatum margine me meus
Exponat aſſer. cur ego ſiſtere
Æterno reformidem quietus
Littore, ſi peritura linquam?

Celebris POLONORVM de Oſmano Turcarum Imperatore victoria, prælio ad Chocimum Dacico anno DOMINI M.DC.XXI. IV. Non. Septemb. commiſſo parta.

Galeſi Agricolæ Dacici Cantus inducitur.

ODE IV.

Dlues Galeſus, fertilis accola
Galeſus Iſtri, dum ſua Dacicis
Fatigat in campis aratra,
Et galeas clypeoſque paſſim, ac
Magnorum aceruos eruit oſſium;
Vergente ſerum ſole ſub Heſperum
Feſſus reſediſſe, & ſolutos
Non ſolito tenuiſſe cantu

Fertur

Fertur iuuencos: Carpite, dum licet,
Dum tuta vobis otia, carpite,
Oblita iam vobis vireta
Emeriti, mea cura, tauri,
Victor Polonus dum positâ super
Respirat hastâ, sic etiam vigil
Sæuusque. Prô quantis, Polone,
Moldauici tegis arua campi
Thracum ruinis! quas ego Bistonum
Hîc cerno strages? quanta per auios
Disiecta latè scuta colleis?
Quæ Geticis vacua arma truncis?
Hac acer ibat Sarmata, (Thracibus
Captiuus olim nam memini puer.)
Hîc ære squallenteis, & auro
Concanus explicuit cateruas.
Heu quanta vidi prælia, cùm Dacis
Consertus hastis campus, & horridi
Collata tempestas Gradiui,
Ambiguis fluitaret armis.
Suspensa paullùm substitit alitis
Procella ferri; donec ahenea
Hinc inde nubes sulphurato
Plurima detonuisset igni.
Tum verò signis signa, viris viri,
Dextræque dextris, & pedibus pedes,
Et tela respondêre telis,
Et clypeis clypei retundi.

Non tanta campos grandine verberat
Niualis Arctos, non fragor Alpium
Tantus, renitenteis ab imo
Cùm violens agit Auster ornos,
Hinc quantus atque hinc impetus æreo
Defusus imbri. Miscet opus frequens
Furorque, virtusque & perenni
Immoritur breuis ira famæ.
Diu supremam nutat in aleam
Fortuna belli. stat numerosior
Hinc Bessus, hinc contrà Polonus
Exiguis metuendus alis.
Sed quid Cydones, aut pauidi Dahæ,
Mollesque campo cedere Concani,
Quid Seres, auersóque pugnax
Parthus equo, Cilicumque turmæ,
Contra sequacis pectora Sarmatæ
Possent fugaces? hinc ruit impiger
Polonus, hinc Lithuanus; atro
Quale duplex ruit axe fulmen:
Aut qualis alto se geminus iugo
Deuoluit amnis, raptaque cum suis
Armenta siluis, atque aperto
Præcipitat nemora alta campo.
Heu quale sæuus fulminat æneo
Borussus igni? non ego Liuonum
Pugnas, & inconsulta vitæ
Transierim tua Russe signa.

Vobis

Vobis fugaces vidi ego Biſtonum
Errare lunas, ſignáque barbaris
Derepta vexillis, & actam
Retrò equitum peditumque nubem.
Virtute pugnant non numero viri;
Et vna ſiluam ſæpiùs eruit
Bipennis, & paucæ ſequuntur
Innumeras aquilæ columbas.
Heu quæ iacentûm ſtrata cadauerum,
Qualemque vobis Ædonij fugâ
Campum retexêre? Hîc Polonam
Mordet adhuc Othomannus haſtam:
Hîc fuſus Æmon: hîc Arabum manus
Confixa telis: hîc Caracas iacet
Conopeis ſubter Lechorum
Non benè pollicitus minaci
Cœnam Tyranno. Spes nimias Deus
Plerumque fœdos ducit ad exitus,
Ridetque gaudentem ſuperbum
Immodicis dare vela votis.
Quò me canentem digna trahunt equis
Non arma tauris? ſiſtite barbaræ,
Non hæc inurbanâ, Camœnæ,
Bella decet memorare buxo,
Maiore quondam quæ recinent tubâ
Seri nepotes; & mea iam ſuis
Aratra cum bubus reuerti
Præcipiti monet axe veſper.

PARODIA

ex IOANNIS KOCHANOWII Poëtarum Polonorum Principis Libri II. Ode XXIV.

cùm Scythæ citeriorem Podoliam inopinatò inuasissent, populariter decantata.

ODE V.

ÆTerna labes, nec reparabile
Polone damnum: Podoliam Getæ
Impunè vastare, & dolendas
Ponè Tyram numerare prædas.
Eheu pudendum! Threicij canes
Egére præ se non popularium
Armenta damarum, paternis
Non iterùm reditura lustris.
Pars impudicis vendita Thracibus,
Pars Tauricanos iussa sequi Scythas.
Eheu Gelonorum Polonis
Strata canum caluêre nuptis!
Manus latronum ruris & oppidi
Ignara nostras irruit (heu pudor!)
Vrbes, quibus pellita raptas
Plaustra vehunt reuehuntque gazas.
Neglecta quondam sic pecorum lupi
Armenta vastant; quæ neque peruigil
Seruat Magister, nec fideli
Cura canum comitata gressu.

Quan-

Quantum Gelono pectoris addimus,
Si versa turpi terga damus Scythæ,
Iam pænè laturo probrosas
Ciuibus Imperioque leges?
Heu rumpe somnos, & vigiles age
Polone curas, nec reuocabili
Diffide fortunæ, aut fugaci
Anteueni tua fata tergo.
Tibi refuso nunc age sanguine
Pulchri Gelonus nominis eluat
Labem, & colonorum cruentis
Damna riget lacrymosa riuis.
Surgemus? an nos distinet aurea
Mensæ supellex? quos manet (heu dolor!)
Hæc mensa conuiuas? is auro
Nempe bibat, cui dulce ferrum est.
Neruum recusis in pretium scyphis
Bello paremus. quæ malè per vias
Sparsit platearum, tuendis
Hæc eadem neget arca muris?
Hæc munerati, nos potioribus
Seruemus ausis. pectora non priùs
Quàm vulnerantur scuta: frustrà
Exanimem tegit vmbo dextram.
Me prisca lactat fabula: crescere
Per ipsa Lechum damna. sed heu! recens
Ne me refellat fama, Lechum
Damna suis cumulare damnis.

PALINODIA

ad Parodiam IOANNIS KOCHANOWII,

Cùm Victoria de Turcis parta renuntiaretur, ac paulò pòst STANISLAVS KONIECPOLIVS Exercituum Regni Poloniarum Ductor Campestris Scythas prosperis prœliis fudisset.

ODE VI.

ÆTerna laudum nec violabilis
Polone merces; sanguine Concanos
Pacem redemisse, & reuictam
Vno Asiam Lybiamque bello.
Extrema latè quà rigido subest
Europa cælo, cornua fregimus
Lunæ, cui lustrat subactas
Sol oriens morienſque terras.
Io triumphe: Lechiadæ Duces
Egêre præ se signa fugacium
Latè Gelonorum, Polonis
Non iterùm reditura campis.
Pars iussa pacis viuere legibus,
Pars fœderatâ cedere Daciâ:
Io: Corallorum Polonis
Signa ducum micuêre templis.
Gens quæ niuali deuia Caucaso,
Vndasque terrasque & dubium manu
Concussit orbem; non decoro
Anteiit sua fata tergo.

Noctur-

Nocturna quondam sic humili meant
Sub antra gressu degeneres lupi,
Si quando venantûm tumultu
Auia personuêre lustra.
Quantum cruenti pectoris & Gotho
Dememus hosti, qui modò Liuonum
Terras repentinâque cinctam
Terruit obsidione Rigam!
Sed ne secundis heu nimiùm pij
Credamus armis: sæpè suum leuis
Fortuna victorem reliquit;
Et medios secuit triumphos
Contemptus hostis. sic Lacedæmonum,
Sic bellicosi mœnia Romuli
Creuêre contemptu, & perennes
Gentibus imposuêre frænos.
Dat ira vires quæ tumido dolet
Ab hoste temni: sunt & inermibus
Iræ columbis, sunt echinis,
Sunt apibus sua tela paruis.
Hic ipse qui nunc improbus æreas
Tutùm fluenti Danubio Getes
Nectit catenas, cùm secundis
Podoliam populatus armis
Spernet Lecheæ robora dexteræ;
Me vate, tinget sacrilegâ Lechos
Ceruice mucrones. potenti
Sic Nemesi, placitumque fatis.

AD

AD CÆSAREM PAVSILIPPIVM.

Diui Dauidis Regis & Vatis Lyricæ Poëſi Latinam non eſſe parem.

ODE VII.

IEſſæa quiſquis reddere carmina
Audet Latini pectine barbiti,
Audet redordiri ſuperbæ
Turrigeras Babylonis arces.
Quantus Poloni è vertice Carpati
Ruptis inundat Viſtula fontibus;
Se fert, inexhauſtuſque tanto
Iſacius ruit ore Vates.
Vtcumque Paſtor duxit in auias
Armenta valleis, aut gelido ſuper
Iordane, muſcoſæque Bethles,
Aut liquidis Acaronis vndis;
Dulci renarrat carmine melleis
Manaſſe retrò ſæcla liquoribus,
Vinique riuos, & vetuſtas
Lacte nouo trepidaſſe ripas:
Seu fortè miles belligeras lyrâ
Tranſumit haſtas, & ſuperûm pio
Scutumque loricamque Regi
Induitur, femorique magnum
Appendit enſem, qui malè pallida
Vrat minaci ſidera fulgure,

Vrbeſque

Vrbesque Regesque, & tremendo
Regna metat, populosque ferro:
Seu Christianis grande nepotibus
Euoluit ævum, sive adamantinis
Decreta cæli fixa valuis;
Sive hominum superûmque Patrem
Stellante mundi sistit in atrio,
Cùm toruus alti nube supercilî
Dijudicandorum supremus
Consilio stetit in Deorum.
Illi & propinquus Terror in aureo,
Et Fas, & Æqui strenua Veritas,
Et Candor, assedêre scamno,
Et liquidæ sine nube Leges.
Quis ducat æquo pectine sutilem
E luce pallam? quis sub hyantini
Tentorio cæli sedentem,
Quis rutilis diadema dicat
Crinale stellis? quis memoret Deum
Latè trahentem syrma per aureum
Mundi pauimentum, sequacî
Sidera conglomerare limbo?
At quantus inter Niliacas chelyn
Intendit vndas, cùm reducem Pharo
Mosen, Erythræisque ducit
Isacidûm pia castra lymphis?
Hinc ruptus atque hinc artifici lyrâ
Pontus rigenti dissilit freto, &

Circum pependerunt euntes
Marmoreis maria alta muris.
Vidêre ſtratis te Deus æquora
Vidêre tonſis, & liquido pede
Fugêre: porrectas in altum
Ipſe timor glaciauit vndas,
Et ſtare iußit. non humili ſono
Terraſque & ictos increpuit polos
Armatus æther: hinc rubenti
Fulgura diſſiluêre rimâ;
Interque crebræ verbera grandinis,
Vndaſque, flammaſque, & trepidantium
Duella ventorum, ſuperbi
Frænigeras Pharaonis alas,
Curruſque, & haſtas, ſanguineum mare
Jam non inani nomine proruit
Latè ſuperfuſum: cruentos
Seruat adhuc memor vnda ſulcos.
Tum verò victor quadriiugas ſuper
Sublimis auras ſe Deus extulit,
Longeque frænatis tetendit
Sacra Notis Zephyriſque lora.
At læta circùm flumina vitreis
Plausêre palmis, & velut arietes
Succuſſa certatim ſupinis
Culmina ſubſilière ſiluis.
Hæc nos nec olim Sarmaticâ rudes
Auſi Camœnâ: nec modò Dardanas

Culti

Culti per arteis, fortiore,
Pavsilipi, recinemus æstro.
Satis daturi, si Salomonia
Vtcumque lenes tendere barbita,
Castam Sunamitim, & pudicos
Carmine sollicitamus ignes.

LAVS DANTISCI.

Memoratur insignis Dantiscanorum de Classe Teutonicâ victoria, & fides erga Poloniæ regnum collaudatur.

ODE VIII.

QVæ puppis aut quis Pegasus vltimas
Tibi dicatum carmen in insulas
Portabit, ô sidus Borussæ
Gentis, Hyperboreique latè
Regina cæli; quæ vitrei super
Sedisse felix margine Vistulæ,
Terrasque liquentesque circùm
Oceani speculata campos,
Iniecta septem frena Trionibus
Doctâ relaxas & cohibes manu,
Vtrimque pollens, siue tellus,
Siue tuas tremat vnda leges?
Gazas tuorum non ego ciuium
Canam profanus: non ego turribus
Balthim coronari, & trecentas
Portubus aduigilare proras:

Non, quòd Britannos nauiget, aut tuus
Eoa remus verberet æquora:
Non quòd tuis Ormusianæ
Mercibus infremuêre ripæ.
Non, aut propinquas digna Palatia
Æquare nubes, aut Superûm canam
Delubra, non imaginosis
Atria conspicienda ceris.
Olim reuictos consilio dolos
Dicam Plauenl. cetera distuli
Nondum ausus Amphion perennes
Cantibus ædificare muros.
Humana quidquid composuit manus,
Humana rursus disiiciet: iacet
Ingens Alexandria, & altæ
Mœnia procubuêre Romæ.
Natura cassos subruit æmulæ
Artis labores. heu malè prouidi
Casura mortales in altum
Extruimus, colimusque, iisdem
Mox obruendi! Troia premit Phrygas,
Graios Mycænæ: sola Fides super
Turrita terrarum sepulchra
Euenit; & iacuisse gaudet,
Quidquid caduco condidit omine
Non sola virtus. oppida Ciuium
Virtus tuetur, non ahena
Claustra, Semiramiæve turres,

Non

Non ſulphuratis feta tonitribus
Tormenta, non arx clauſa decemplicis
Errore muri; ſola diros
Vrbe Fides prohibebit hoſtes.
Hac arte lato Teutonas æquore
Vrbs magna fundis; quam neque callidum
Perrupit aurum, nec doloſi
Munera blanditiæque belli.
Nam Fas, & Æqui priſca Seueritas,
Simul potentum limina Ciuium
Muniuit, & dona & repulſos
Arma retrò retulêre greſſus.
Mœſtùm locuto iam redeuntibus
Signis Magiſtro; nunc ego (prô pudor!)
Ferar per Europen celebris
Fabula, dedecoraſſe ſacri
Leges Gradiui, & degenerem dolo
Armaſſe dextram. non ego (prô dolor)
Ferro Boruſſorum nec auro
Dedecores animos probaui;
Vtrimque fœdus. claſsis in vltimam
Diſiecta Thulen, & profugæ rates
Heu turpe vulgabunt Plauenl
Opprobrium: vice plus quaternâ
Tentata noſtris mœnia claſſibus
Stetiſſe; & auri muneribus meas
Ferrum regeſsiſſe in carinas,
Non iterùm reditura dona.

Quem fœderatis nunc ego nuntium
Mittam Sicambris? quos ego Teutonum
Fastis recensebo triumphos?
Quæ patriis spolia ampla fanis?
Frustrà pudendis Fama superstitem
Narrat ruinis. ô ego naufragus
Perisse dicar? donec alter
Me melior pauido triumphus
Excuset orbi: si tamen hoc quoque
Fortuna versâ iam negat orbitâ,
Me vera non falso probrosum
Naufragio Libitina condat.

AD ROMAM.

Eam bonarum artium nutricem esse.

ODE IX.

SEcunda cælo Roma, perennia
Quam iura dantem quadriiugo vehit
Hinc Africa Europeque supplex,
Inde Asia Americeque curru,
Olim cruentis non sine præliis
Frænare terras aspera, nunc potens
Pacis sacramento quietæ
Belligeras cohibere genteis.
Nec omne terram prospicit vndique
Cælum, nec omnis parturit omnia
Tellus, & in magnis relucet
Discolor ingeniis venustas.

Te mite cælum, te genius loci,
Et quæ bonorum copia plurimo
Se fundit è cornu, colendis
Moribus ingenioque blandam
Fecêre matrem. non tibi nubilæ
Mentes, ſed album quæ generoſiùs
Bibêre ſolem, ſunt aperto
Pectora candidiora cælo:
Verique pugnax, & niuei vigil
Pubes Honeſti: fulgurat indoles
Vultuque, cultuque, & fideli
Non dubius ſedet ore Candor.
Sunt & benignæ quæ bona pectoris
Ornant Camœnæ. non veteres ego
Vates, & ignotos amico
Carmine ſollicitabo manes:
Teſtis mearum viuida BENCII
Thalia laudum: teſtis amœnior
Argenteis GALLVTIORVM
Barbitos inſonuiſſe neruis.
Teſtis feroci qui premit impetu
Papiniani prælia pectinis
DONATVS: *heu teſtis Tragœdi*
Poſtuma Calliope STEPHONI,
Diueſque STRADAE *cultus, & integer*
GVINIZIANVS *candor, & aurei*
Lepos PETRVCI; *aut qui Latino*
Dulcè fluit GODEFRIDVS *ore.*

Quam-

Quamquam nec armis desit idonea
Campóque pubes: & tibi Thracium
Deprælìaturos Tyrannum
Magnanimos Latium nepotes
Cultúque & almis educat artibus;
Qui regna Cypri, qui Rhodon asserant
Armis, Palæstinosque colleis,
Et Solymi iuga parricidæ.
Vidi Latinas, vidi ego, ludicro
Latè phalangas feruere prælio,
Primi rudimentum Gradiui,
Dum Ligurum Allobrogumque quondam
VRBANVS *acres non sine numine*
Componit iras, cùm fera militum
Ferrara vicinum quietis
Eridanum monet esse ripis.
Heu quanta bello robora! non mihi
Inditus olim vixeris, altiùs
TORQVATE *fraternâ sonari*
Digne lyrâ, Comitum propago
TORQVATE *regum. te Latiis grauem*
Bohemus armis, te validum leues
Sensêre Daci, tu perempti
Non humilis socius BVQVOI.
Tunc Vaticano primus in agmine
Pugnam docebas: qualis adhuc rudem
Chiron Achillem, qualis alto
Æmona Protesilaus Æmo.

Dicent

Dicent COLVMNAS *qui grauioribus*
Dicent Camœnis edomitum mare, &
Opima Naupacti trophæa, &
Auſonio pia bella ponto.
Non & ſonandus non geminus pari
VRSINVS *æſtro? ſed benè credidit*
Imbelle plectrum, non pharetram,
Aut habilem mihi Phœbus arcum.

AD Q. DELLIVM.

Non tam populari exemplo, quàm potiùs rationis ductu vitam eſſe inſtituendam.

ODE X.

DElli, ſi populo duce
Vitæ degenerem carpimus orbitam,
Erramus; procul arduis
Virtus ſe nimiùm ſe-poſuit iugis.
Illuc quò via tritior,
Hoc eſt certa minùs. Longus inutili
Error nectitur ordine:
Et mores populum, non ratio trahit.
Caſu viuitur; & viam
Non metam premimus, quà præeuntium
Per veſtigia ciuium
Inſanæ ſtrepitus plebis, & improbæ
Voces inuidiæ vocant.
Exemplis trahimur, & trahimus retrò;

Soli nemo ſibi eſt malus.
Nulli vita ſua eſt: dum vaga poſtero
Turbam turba premit gradu,
Sunt primi exitio ſæpè ſequentibus.
Me Parnaſſus & integer
Plebeiis Helicon cœtibus eripit
Sublimem: vnde vagantium
Errores animorum, & malè deſidis
Vulgi damna patent. iuuat
Ex alto intrepidum colle iacentia
Deſpectare pericula, &
Cautum non propriis viuere caſibus.

AD SIGISMVNDVM LÆTVM.

Gloriæ inanis deſpicientiam & ſilentium commendat.

ODE XI.

LÆte, quid caſſis ſequimur fugacem
Gloriam telis? furit illa Mauri
More, vel Parthi, regeritque ab ipſo
Vulnera tergo.
Hoſpes vnius negat eſſe tecti
Garrulus vulgi fauor: hic inani
Aure rumores legit, inde veris
Falſa remiſcet.
Hic velut nidum poſiturus hæſit,
Mox vbi vano vacuum tumultu

Pectus

Pectus illusit, tacitis in altum
Subsilit alis.
Vera laus sciri fugit. ipse pulcher
Se suâ Titan prohibet videri
Luce: qui totus potuit latere,
Maior habetur.
Qui premit sacram taciturnitate
Pectoris gazam; benè non silenti
Tutus in vulgo, benè suspicaci
Regnat in aulâ.
Præterit mutas benè cymba ripas;
Quæ simul raucis strepuêre saxis,
In latus cautam sapiens memento
Auertere proram.

AD IANVM LIBINIVM.

Solitudinem suam excusat.

ODE XII.

QVid me latentem sub tenui lare
Dudum moretur, cùm mihi ciuium
Amica certatim patescant
Atria, sæpè rogas LIBINI.
Me plenus extra quid cupiam? meo
In memetipsum clausus ab ostio,
In se recedentis reuiso
Scenam animi, vacuumque lustro
Vitæ theatrum, sollicitus mei
Spectator, an quæ fabula prodij

Matura procedam, & ſupremo
Numinis excipienda plauſu.
Omnes recenſet Numen, & approbat,
Vel culpat actus: quo mea iudice
Si ſcena non læuè peracta eſt,
Sim populo ſine teſte felix.
Odi loquacis compita gloriæ
Plebeia: quam cùm Fama fauentibus
Euexit auris, ſæpè miſſo
Inuidiæ ſtimulata telo,
Aut inuidentum territa vocibus,
Parùm obſtinatis & malè fortibus
Dimittit alis. illa nudam
Plangit humum, laceroſque ſaxis
Affligit artus. Me meliùs tegat
Priuata virtus, & popularia
Numquam volaturum per ora
Celet iners ſine laude tectum.
Semota laudem ſi meruit, vetat
Audire virtus. tutiùs inuidi
Longinqua miramur: propinquis
Læuus amat comes ire Liuor.

AD CÆSAREM PAVSILIPPIVM.

Aduerſa conſtanti animo ferenda eſſe.

ODE XIII.

SI quæ flent mala lugubres
Auferrent oculi, Sidoniis ego

Merca-

Mercarer benè lacrymas
Gemmis, aut teretum merce monilium.
At, ceu rore seges viret,
Sic crescunt riguis tristia fletibus.
Vrget lacryma lacrymam;
Fecunduſque sui se numerat Dolor.
Quem fortuna semel virum
Vdo degenerem lumine viderit,
Illum sæpè ferit; mala
Terrentur tacito fata silentio.
Ne te, ne tua fleueris
Quæ tu, care, vocas, PAVSILIPI, *mala,*
Quam pellunt lacrymæ, fouent
Sortem: dura negant cedere mollibus.
Siccas si videat genas,
Duræ cedet hebes sors patientiæ.

AD CRISPVM LÆVINIVM.

Rogatus cur sæpè per viam caneret, respondet.

ODE XIV.

CVm meam nullis humeros onuſtus
Sarcinis tecum patriam reuiſo
Lætus, & paruo mihi cumque diues
Canto viator,
Tu siles mœstùm: tibi cura Musas
Demit, & multi graue pondus auri,
Quæque te quondam maleſida rerum
Turba relinquet.

Diues est qui nil habet; illa tantùm
Quæ potest certâ retinere dextrâ,
Seque fert secum, vaga quò migrare
Iussit egestas.
Quid mihi, qui nil cupiam, deesse
Possit? vmbrosi placet vna Pindi
Vallis: ô sacrum nemus, ô iocosæ
Rura Camœnæ!
Quæ meos poscet via cumque gressus,
Delphici mecum, mea regna, colles
Itis, & fessum comitante circum-
sistitis vmbrâ.
Me Gothus sæuis religet catenis,
Me Scythes captum rapiat, solutâ
Mente vobiscum potero tremendos
Visere Reges.

AD MVNATIVM.

Nihil in rebus humanis non tædio plenum esse.

ODE XV.

NIl est, Munati, nil, iterùm canam,
Mortale, nil est, immedicabilis
Immune tædi. Clarus olim
Sol proauis atauisque nobis
Parùm salubris, nec maculâ reus
Damnatur vnâ: quidquid in arduo
Immortale mortales Olympo
Vidimus, inuidiæ caducâ

Fusca-

Fuſcamus vmbrâ. non placet incolis
Qui ſol auitis exoritur iugis;
Aut priſca quæ dudum paternam
Luna ferit radiis feneſtram.
Cælo quotannis, & patriis leues
Migramus aruis; hunc tepidæ vocant
Brumæ Batauorum, huic aprici
Auſoniæ placuêre ſoles.
Fruſtrà; fideles ſi dominum retrò
Morbi ſequuntur, nec tacitus Dolor
Abſiſtit, aut Veiente curru,
Aut Venetâ comes ire cymbâ.
Tandemque nobis exſulibus placent
Relicta. certam cui poſuit domum
Virtus, huic numquam paternæ
Fumus erit lacrymoſus aulæ.
Virtus agreſti diues in otio
Seſe ipſa claudit finibus in ſuis
Plerumque, & inſonti quietum
In paleâ ſolium reclinat.

AD EQVITES POLONOS.

Illos quàm maximè campeſtribus prælиis idoneos eſſe.

ODE XVI.

NEc Lechus neque Lechicis
Proles ille fuit nata nepotibus,

Primus

Primus qui docuit ſuis
Vrbes Sarmatiæ fidere machinis.
Campeſtres benè Sarmatæ
Campo bella gerunt: ſub Ioue libero
Natam militis indolem
Fruſtrà belligero clauditis otio;
Arctis oppida mœnibus
Virtutem cohibent, dum malè fortibus
Addunt conſiliis moram, &
Creſcentes hebetant Martis adoreas.
Sic non vincimus, vt diu
Vincamur; miſeri, ni vetet exteri
Campeſtris manus auxilî
Hoſtem quaſſa diu cingere mœnia;
Aut vis viuida ciuium
Rumpentis nebulam more tonitrui
Clauſo proruat oppido,
Et murum ſolido pectore ſuppleat.
Agreſtes meliùs feræ,
Quarum non vacuis iurgia ſub iugis,
Sed plano generoſior
Campo pugna calet: prodit inertibus
Antris impauidus leo,
Hoſtem conſpicuis ſternere collibus.
Aër ingenuis patet
In pugnas aquilis. mollibus euolat
Nidis, cùm violentior
Viſis accipiter pugnat oloribus.

Quid

Quid nos picta leonibus
Frustrà parma tegit? cur Iouis alitem
Aut cur accipitrem cauo
Gestemus clypeo, si malè Martiæ
Respondet nota dexteræ,
Nec pulso resonat gloria pectori?
Quòd si non vacuum genus
Iactamus timidi, cur fugimus sacrum
Immiscere periculis
Cælo teste caput, non sine stemmate?
Magno magna ruant loco,
Aut vincant. videat sol meliùs mori
Quos nasci benè viderat,
Et laudis spatium mors habeat suæ.
Hac virtute Chaber vagum
Sub consanguineæ iura Poloniæ
Iussit ire Borysthenem,
Captiuique super marginibus Salæ,
Et Silesidos Oderæ,
Metas imperio fixit aheneas,
Quà certo pede gloriam
Stantem non stabilis præflueret liquor.
Nos fœdam Lare patrio
Ætatem tegimus, solliciti parùm,
Quàm vicinus aret Gothus,
Vel quàm frugiferæ rura Podoliæ
Creber diripiat Scythes:
At non & madidi sub iubar Hesperi

Inter pocula neſcij
Noctem ſanguineo ducere iurgio.
Quòd ſi prima ſenes hiems
Admouit tepido cum pueris foco,
Patrum dicere prælia
Hauſto non humiles hiſtorici mero,
Fecundam ſcelerum pij
Ætatem querimur, quam noua poſterûm
Deturpauit inertia.
Fruſtrà: ſi poſitis mox eadem patres
Inter pocula liberis
Flemus, quæ miſeri ſæcula fecimus.

AD VIOLAM.

Kalendis Maij quotannis Pueri IESV caput coronaturus.

ODE XVII.

AVrora veris, punicei recens
Regina campi, cinge mei precor
Frontem puelli: cur ſub auro
Paruulus heu grauibuſque gemmis,
Aut ſub prementis ſidere purpuræ
Laboret? ô cui pauperies mei
Regnum dicauit; necte ſertum,
Necte meo diadema Regi.
Paruo coronat munere ſe Deus
Plerumque; ſi quæ paupere dat manu

Diues

Diues voluntas: dona magnis
Parua animo placuêre magno.

AD ROSAM.

Quotannis Kalendis Iunij D. Virginis caput coronaturus.

ODE XVIII.

SIderum ſacros imitata vultus
Quid lates dudum roſa? delicatum
Effer è terris caput, ô tepentis
Filia cæli.
Iam tibi nubes fugiunt aquoſæ,
Quas fugant albis Zephyri quadrigis,
Iam tibi mulcet Boream iocantis
Aura FauonI.
Surge, qui natam deceant capilli
Mitte ſcitari: nihil heu profanæ
Debeas fronti, nimiùm ſcueri
Stemma pudoris.
Parce plebeios redimire crineis,
Te decent aræ: tibi colligenda
Virginis latè coma per ſequaceis
Fluctuat auras.

AD IESVM OPT. MAX.
EX SACRO SALOMONIS EPITHALAMIO.

Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.

ODE XIX.

Dicebas abiens: Sponsa vale; simul
Vicisti liquidis nubila passibus.
Longam ducis, IESV,
In desideriis moram.
Ardet iam medio summa dies polo,
Iam parcit segeti messor, & algidas
Pastor cum grege valleis,
Et pictæ volucres petunt.
At te quæ tacitis distinet otiis
O IESV *regio! quis mihi te locus*
Cæcis inuidet vmbris,
Aut spissâ nemorum comâ?
Scirem, quo iaceas cespite languidus,
Quis ventus gracili præflet anhelitu,
Quis riuus tibi grato
Somnum prætereat sono;
Ah! ne te nimio murmure suscitent,
Nostræ diluerent flumina lacrymæ,
Et suspiria crudis
Miscerentur Etesiis.

AD

AD DIVAM VIRGINEM CARMEN VOTIVVM. ODE XX.

Regina terris non humili Deum
Enixa partu, cui vigiles comam
Flammæ coronauêre, & albo
Sidera circumiêre gyro;
Vtcumque viles respicis aureâ
E nube terras, lenior excipe
Non antè testudo locutis
Quæ mea cumque sonat Camœnis.
Me torua circùm mugiat horrido
Malea ponto, me fera sorbeat
Charybdis; enantem per ipsas
Eripiet tua dextra morteis.
Importuosi seu iubar æquoris
Audire gaudes, seu Pelagi Pharos,
Seu certa tu mauis vocari
Ambiguis Cynosura nautis:
Seu nauis olim credita naufragum
Seruasse sæclum, cùm scelerum Pater
Vltor superfuso Gigantum
Obrueret genus omne cælo:
Me pestilenti Sirius halitu
Afflet; caducum tu benè proteges
Vmbrâ clientem, seu comanti
Dulcè vires Terebinthus auro,

Seu celsa gaudes Cedrus in arduo
Nutare Sina, seu Libano super
Cupressus, aut latè Cadanis
Populus aspicienda campis.
Dicam & minoris carmine barbiti
Inter seueras nobile Lilium
Florere spinas, & comantem
Flore Deo tremuisse Virgam.
Cingat frementûm me globus hostium,
Dicêre denso Exercitus agmine
Alas, & æqualem reductis
Cornibus explicuisse campum:
Dicêre virgo Turris, eburnea
Dicêre Turris, quam nec aheneus
Perrumpat imber, nec ruinam
Flamma graui meditata plumbo.
Quòd si canoro carminis alite
Indis morantem Musa cubilibus
Hortetur exire, & nigrantes
Luce nouâ reparare terras;
Non & benignis respuis auribus
Aurora dici: surgis & integro
Nunc Luna vultu, nunc Eoo
Cynthius inueheris triumpho.
Quocumque gaudes nomine, me tuum
Tuere Mater; si mihi per tuas,
O Virgo, non immunis aras
Mica salit, Ciliceſque nimbi.

Hic

Hîc Vaticanis non ſine laureis
Appendo functum carmine barbitum, &
Olim Polonorum trophæa
Sollicitam ceciniſſe buxum.

EX SACRO SALOMONIS EPITHALAMIO.

En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Iam enim hiems tranſiit, imber abiit, & receſſit: flores apparuerunt in terrâ noſtrâ, tempus putationis aduenit: vox turturis audita eſt in terrâ noſtrâ: ficus protulit groſſos ſuos: vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Surge, amica mea, ſpecioſa mea, & veni.

ODE XXI.

FAllor? an Elyſij læuâ de parte Sereni
Me mea vita vocat?
Surge ſoror, pulchris innectito lora columbis;
Pulchrior ipſa ſuper
Scande rotas, Libaniique leuem de vertice currum,
Has, age, flecte domos.
Ad tua decidui fugiunt veſtigia nimbi,
Turbidus imber abit:
Ipſa ſub innocuis miteſcunt fulmina plantis,
Ipſa vireſcit hiems.
Intereà ſacris aperit ſe ſcena viretis,
Sub pedibuſque tibi

Altera

Altera floret humus, alterque vagantia latè
Sidera pascit ager.
Hic etiam trepidi pendent è rupibus hœdi,
Præcipitesque capræ;
Hinnuleique suis, passim dum flumina tranant,
Luxuriantur aquis.
It leo cum pardo viridis de colle Saniri
Mitis vterque regi,
Cumque suo passim ludunt in montibus agno
Exsuperantque iuga.
Plurimus hos circum tacito pede labitur amnis,
Pumicibusque cauis
Per violas lapsæ, per decliues hyacinthos,
Exspatiantur aquæ.
Lenè fluunt riui, muscosis lenè susurrus
Murmurat è scopulis.
In vitreo pisces saliunt hilares crystallo,
Dulcè queruntur aues.
Nec verò, si mœsta placent solatia, cælo
Flebile murmur abest:
Nam sibi dum vestro regemunt ex orbe palumbes,
Huc sonus ille venit.
Sic dum se viduo solatur carmine turtur,
Gaudia nostra placent.
Cetera non desunt. pronis vindemia pendet
Officiosa botris.
Hic etiam vulgò violas, albentia vulgò
Vngue ligustra leges:

Ipsa

Ipſa tibi, leti ſuccos oblita priores,
Mitia poma cadent:
Ipſæ maturâ labentur ab arbore ficus,
Percutientque ſinum.
Intereà falcem vindemia neſcit, aratrum
Saucia neſcit humus.
Ipſæ ſponte virent ſegetes, innoxius ipſe
Meſſibus albet ager.
Præbent hoſpitium platani: præbet formoſos
Graminis herba toros.
Cædua Panchæos ſudant opobalſama nimbos;
Et genialis odor
Adſpirat quoties, nutantibus hinc atque illinc
Ingruit aura comis.
Surge; quid indignos ducis per tædia ſoles?
Surge, age, cara ſoror.
Ecce tuis ipſæ iam circum fræna columbæ
Ingemuêre moris.
Huc age, formoſas formoſior ipſa columbas
Hoſpita flecte ſoror.

AD VIRGINEM MATREM.

Quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

ODE XXII.

Quando te dulci ſine prole ſolam
Miror, Eoo reducem cubili,

Miror Auroram croceo rigantem
Æthera nimbo.
Mater at nato ſimul adſtitiſti;
Integram miror radiare Lunam,
Ora debentem, radioſque & almo
Lumina Soli.
Cinge maternis puerum lacertis:
Sol eris; vel quæ vigil explicatis
Siderum turmis Acies tonantem
Circumit aulam.

AD CICADAM.

ODE XXIII.

O *Quæ populeâ ſumma ſedens comâ,*
Cæli roriferis ebria lacrymis,
Et te voce, CICADA,
Et mutum recreas nemus.
Poſt longas hiemes, dum nimiùm breuis
Æſtas ſe leuibus præcipitat rotis,
Feſtinos, age, lento
Soles excipe iurgio.
Vt ſe quæque dies attulit optima,
Sic ſe quæque rapit: nulla fuit ſatis
Vmquam longa voluptas,
Longus ſæpiùs eſt dolor.

AD

AD D. VIRGINEM MATREM.

Pæan militaris POLONORVM, quem Diuus ADALBERTVS Archiepiſcopus Gneſnenſis POLONORVM Apoſtolus & Martyr conſcripſit, Regnoque POLONIARVM teſtamento legauit.

Poloni acie explicatâ manum cum hoſte collaturi populariter decantant. Petrus Skarga olim SIGISMVNDI III. Polonorum Regis Theologus in Vitâ D. ADALBERTI recenſuit & explicuit. Auctor ex Polonico carmine in Latinum vertit.

ODE XXIV.

Diua per latas celebrata terras
Cælibi Numen genuiſſe partu
Mater & Virgo, genialis olim
Libera noxæ.
Dulcè ridentem populis Puellum
Prome formoſis bona Mater vlnis,
Expiaturum populos manu de-
mitte Puellum.
Apta dum noſtris venit hora votis,
Supplices audi, meliore mentes
Erudi voto; ſociâ Puellum
Voce precamur.
Integram nobis ſine labe vitam,
Proſperam nobis ſine clade mortem,

CHRISTE, *ſtellataſque* MARIA *Diuûm*
Annue ſedes.
Numinis natam tibi crede prolem,
Qui pius credi cupis: ille multis
Preſſus ærumnis populos ab imo
Eruit orco.
Ille non vmquam pereuntis æui
Scripſit heredes; & inobſequentis
Præſidem leti, cohibet ſeueræ
Lege catenæ:
Auſus indignum tolerare letum,
Sontis Adami memor. ille necdum
Præuius ductor penetrarat alti
Limina cæli,
Donec informi Deus è ſepulchro
Prodiit victor: benè iam ſupremo
Aſſides Adam ſolio perennis
Hoſpes Olympi.
Nos tuam plebem ſobolemque ſanctis
Adleges campis, vbi regna Diuûm
Gaudij torrens & inundat almi
Flumen amoris.
Saucium nobis latus & cruentas
Ille plantarum manuumque plagas
Suſtinet: nobis medicos latus de-
ſtillat in imbres.
Hoc fide concors animique maior
Turba credamus; ſcelus eluiſſe

Et

Et ſalutarem patuiſſe nobis
Vulnere CHRISTVM.
Ite, iam fœdam (monet hora) labem,
Ite, mortales prohibete: magno
Carmen & totam ſine fraude mentem
Impendite Regi.
Tu tuâ, VIRGO, *Sobolemque Regemque*
Ætheris, leni prece; ne malorum
Turbo per præceps cumuloſque ſeſe
Explicet omnes.
Siderum ciues, facilem precati
Siderum Regem, reſerate cælum,
Ciuibus terræ ſocialis olim
Turba futuri.
Ille nos, IESV, *locus, illa tecum*
Regna coniungant, vbi nos canentûm
Cælitum pridem vocat in beatam
Exercitus aulam.
Sic erit; votis iteramus omnes,
Sic erit, ſeptem. bona verba læto
Profer euentu Pater, & beatos
Pande Penates.

DIALOGVS PVERI IESV ET VIRGINIS MATRIS.

CARMEN VOTIVVM.

Ex Cantici Canticor. I. IV. V. VI. & VII. Cap.

ODE XXV.

Puer. VIRGO *sidereis pulchrior ignibus,*
Auro fulgidior, lucidior vitro,
Rubro gratior ostro,
Albâ candidior rosâ.

Virgo. IESV *purpureo clarior Hespero,*
Lunâ splendidior, Sole serenior,
Vernis gratior aruis,
Hibernâ niue purior.

Puer. *Sic fulges oculis, vt geminus propè,*
Qui cùm lusit agris fons Esebonijs,
Clausum stare quieto
Se miratur in otio.

Virgo. *Sic luces oculis, vt geminæ propè*
Lucent, seu fluuio, siue liquentibus
Lotæ lacte columbæ
Assedêre canalibus.

Puer. *Ornant ingenuæ colla tibi comæ,*
Lydis lota velut purpura fontibus,
Summis aut Galaadi
Declines capreæ iugis.

Virgo.

Virgo. *Ambit pulchra tuas cæsaries genas,*
Qualis frondifluis palma viret comis:
Qualis coruus in ipsis
Plumarum tenebris nitet.

Puer. VIRGO *lenè tuis verba fluunt labris,*
Hyblæo veluti mella fluant fauo,
Aut demissa solutis
Errent flammea tænijs.

Virgo. IESV, *dulcè tuis ora natant sonis,*
Infuso veluti pocula cæcubo,
Aut humecta caducis
Gemment lilia roribus.

Puer. *Mammæ sunt similes hinnuleis tuæ,*
Qui tondent teneris lilia morsibus,
Dum se fessus anhelo
Inclinet senio dies.

Virgo. *Certant* NATE *tuis vberibus botri,*
Botri, quos viridis parturiit Cypros,
Aut quos educat almis
Engaddus viridarijs.

Puer. *Quisquis* VIRGO *tuas aspiciet genas,*
Pœnis aspiciet mala rubentia
Ramis: cetera claudunt
Imo se bona pectore.

Virgo. *Quisquis,* NATE, *tuis hæserit in genis,*
Pictam dispositis artifici manu
Liliisque, rosisque,
Emirabitur aream.

Puer.

Puer. *Qui te non amat, est barbarior feris,*
Pardis asperior, tygride sæuior,
Impacatior vrsis,
Iracundior anguibus.

Virgo. *Qui te non amat, est marmore durior,*
Saxis horridior, surdior æquore,
Inconstantior auris,
Immansuetior ignibus.

AD AVRAM.

ODE XXVI.

AVra, quam veris tepor & serenâ
Thraciæ vectant animæ quadrigâ,
Huc ades, quà te vocat hospitali
Populus vmbrâ.
Hîc tibi liber Zephyrus comas per-
sultet & ramos, vagus hîc supinas
Increpet frondes teneroque vexet
Gramina lusu.
Dum per apricos reuoluta flores,
Vitreæ somnum fuga suadet vndæ,
Meque suspensamque comante perfla
Barbiton alno.
Sic tibi cælum, lepidoque soles
Rideant vultu: pede sic liquenti
Ros tibi manet, tacitâque se sus-
pendat in herbâ.

Sic

Sic tibi Seres Ciliceſque campi
Soſpiti centum gemiment odores:
Sic adulantes violis roſarum
Pecte capillos:
Sic meo chordas quatiente plectro
Inter admiſſo digitos acutùm
Sibilo ludas, lyrico comes Po-
-etria vati.

NOE VATICINIVM.

Luxuriam præteriti, & Idololatriam futuri ſæculi dequeritur.

ODE XXVII.

Demerſa latè ſæcula cùm Noë
Enauigaret, naufraga dicitur
E puppe proſpexiſſe regna,
Et malè iam pelago latenteis
Fleuiſſe terras: Sæcula, ſæcula
Libido fœdis mergit amoribus;
Totoque reſtinguendus orbis
Oceano, ſimul omnis vno
Peccauit igni. Scilicet impiis
Polluta Regum limina nuptiis
Spectante fruſtrà Sole poſſent
Stare diu? Pudor, heu! nefaſque
Naſcentis æui, turpis amor, nihil
Intaminatum liquit: & innocens

Natura deformis nocenti
Supplicium graue pendit vsu.
Inceſta fœdi fecimus omnia,
Et digna perdi. Marmoreis vbi
Vrbes coronatæ Coloſſis?
Aut vbi turrigeræ potentûm
Arces Gigantum? queis, modò liberi,
Feſto choreas agmine plauſimus:
Delphines inſultant plateis,
Et vacuas ſpatioſa cete
Ludunt per aulas, ac thalamos pigræ
Preſſêre phocæ; defluit illito
Aurum lacunari, & refixæ
Ad pelagus redîêre gemmæ.
Iam nec vetuſtis ſculpta ſcientiis
Famoſa moles perſtat, & aureis
Inſcripta maiorum ſepulchris
Funditus occubuêre ſaxa.
Ingens egeſtas, & ſimul omnium
Factura rerum, flagitium, Dei
Cultuque delubriſque & aris,
Heu miſerum malè nudat orbem!
Iam iamque coget ſæcula proprium
Neſcire Numen: nec ſcelerum graue
Penſare permittet nepotes
Supplicium. ſimul omne ripas
Habebit æquor, rurſus & inclyta
Tellus in herbam ſurget, & aureus

Titan

Titan inaurabit recenti
Arua die, populiſque magnus
Crebreſcet orbis. non eadem fluet
Ætas, & auro deterius diem
Procudet argentum, ac ſonoro
Belligerum gemet ære tempus:
Tandemque ferro ſæcula corruent.
Et, qui malorum ſummus apex, Dei
Oblita me rerum parentem
Sacrilego colet igne tellus;
Falſumque numen (prô pudor!) impio
Narrabor orbi, ceu veteri Chao
Hac puppe diſcreuiſſe, & omnem
Naufragio recreaſſe mundum:
Mox ſtare terras, currere flumina,
Frondere ſiluas, arua vireſcere
Iuſſiſſe paulatim, & nitenteis
Frugibus explicuiſſe campos.
Me Bactra Cælum, me Babylon Iouem,
Me Suſa Solem, me Pharij ſuum
Dicent Oſyrim, me bifrontem
Auſoniæ colet ora Ianum.
At, ô potenti qui regis æthera
Terreſque ſceptro; verte, Pater, Pater,
Vndaſque terraſque & triſulcum
In caput hoc iaculare telum,
Fœduſque iam nunc ſtragibus obruar
Labantis æui: barbaricis ego

Solus ſuperuiuam pudenda
Materies tituluſque ſacris?

AD DIVINAM SAPIENTIAM.

Cùm noui è Germaniâ, Galliâ, Italiâque motus bellici nuntiarentur.

ODE XXVIII.

O *Mens quæ ſtabili fata regis vice,*
Vt nos pulchra tui ſeria conſilî,
An te noſtra viciſſim
Delectent, age, ludicra?
Nam tu cùm variâ ſpargis opes manu,
Effuſas lepido non ſine iurgio
Raptamus, puerorum
Sparſas turba velut nuces.
Hic cùm ſceptra capit, frangit; hic antequam
Geſtet, fracta videt. Fluctuat, heu! miſer,
Alternáque potentum
Mundus diripitur manu.
Punctum eſt, ſors auidis quod ſecat enſibus
Inter tot populos. hoc precor vnicum
Pauper: Secum auidi dum
Pugnant, tecum ego rideam.

AD

AD EQVITES POLONOS

Anno M. DC. XXX.

ODE XXIX.

QVos ſera gignent ſæcula poſteros
Narrabo vates. ſtemmata patriis
Delete ne ceris, Quirites,
Egregiis geminanda factis
Olim minorum. ſi quid aui rudes
Inominatâ geßimus alite,
Reducet in laudem, nepotum
Auſpicio meliore virtus.
Non ſcuta fruſtrà, non galeas decent
Gryphesque pardique, aut torua leonibus
Vexilla nequidquam, & chimæris
Sarmaticæ micuêre parmæ,
Quis ille ductor Balthida Lechicis
Incendit armis? quod iuuenum recens
Examen Arctoum Polonis
Increpat Oceanum ſub armis?
Iamque & minaces bella fremunt Gothi,
Hinc Martis, atque hinc rupta tonitruis
Immugit vnda: iam propinquæ
Prælia conſeruêre proræ.
Prô! quantus armis in mediâ quoque
Formoſus irâ, quantus in arduum
Aſſurgit enſem, quantus haſtâ
Per Gothicas iuuenis phalangas

Exultat? O lux, ô veterum recens
Sidus Iagellonum, ô patriæ Pater,
Primaſque bellantis per vndas
Sarmatiæ Cynoſura ſalue.
Turrita ſaxis ſe tibi Suecia
Muriſque pandit: iam tibi patrij
Cultus, & heroos reuinxit
Laurigerum diadema crines.
Iam Vilna latè, iam veteris Craci
Feſto plateæ carmine perſonant:
Tu Typhis alter, tu ſeuerus
Belligero dare fræna ponto.
Princeps agreſtes, & nimiùm diu
Terræ tenaces Martis adoreas
Latum refudiſti per æquor
Auſus humo pelagóque magnum
Miſcere nomen. te niueis ſuper
Attollet altum Fama curulibus,
Quà veſper atque Aurora ſacrum
Purpureo lauit amne crinem.
Hæc tum madenti veſpere, Sarmatæ,
Canenda ſeris bella nepotibus
Bis terque ſub noctem lyraque, &
Niſouiis iterate neruis.
Cras aut biremem, aut rurſus equum citi
Scandetis. Eheu! quæ noua barbaris
Effuſa tempeſtas ab oris
Fulminat? agricolaſque latè

Campoſ-

Camposque, fruges que, & pecorum procul
Armenta vasto proruit impetu?
Impunè, prô pudor! Polonas
Thracia depopuletur vrbes?
At ô virorum quisquis amicior
Marti, citato scande ratem pede,
Quâ pontus & neglecta Thracum
Claustra vocant, vacuæque turres:
Perrumpe muros, dirue mœnia,
Inuade portas, sterne solo domos:
Heu! sterne Byzantî pudendis
Templa diu famulata sacris.
Io triumphe! Sarmata Bosphoro
Et belluosæ fræna Propontidi
Iniecit, Eoumque seris
Imperium reparauit armis.
At vos secundâ tempora Milites
Vmbrate lauru, dum gemino super
Procedit Arctous triumpho
Victor, Agenoreumque retrò
Frontis minorem, & compedibus grauem
Ducit tyrannum; dicite consono
Vtrimque plausu: Tu tuorum,
Tu patriæ Pater, atque Cæsar.
Post hæc auito Pax bona parieti
Suspendet enses; & patrias nouæ
Narrabit ad tædas maritæ
Emeritus sua bella coniux.

Mox

Mox & quod atrâ Mars rapuit manu,
Caſtæ reponent prole puerperæ;
Nouiáque reptabunt per arcus,
Scuta per & galeas nepotes,
Iam nunc proterui, nunc etiam truces
Ad ſæua ferri fulgura: ſed diu
Neglecta pacabunt iuuentam
Otia, Palladiiáque ludi.
Suâ quietus quiſque ſub arbore
Cœnam pudici cum ſociâ tori,
Gnatiſque, proſternet propinquo
Pocula prætereunte riuo.
Non aut malarum iurgia litium
Emptúſve iudex, ſed bona veritas
Componet iras, aut iocoſi
Vina ſuper epulaſque amici.
Non ſpes honorum, non ſtudium lucri,
Cogent potentem viſere curiam,
Tractuſque longinquos viarum,
Et viduos numerare menſes.
Quem manè ſiccum prima dies domo
Dimittet, illum ſera dies domum
Potum reducet, & maritæ
Excipient ſine lite cœnæ.
Mox ad paterni ruris amœnior
Surget labores: ſiue ſuas leo
Æſtiuus ad meſſes vocabit,
Siue redux ad aratra taurus.

Sed

Sed ipſa meſſis ſponte fidelibus
Inſurget agris; non ſegetem graues
Vrent auenæ, non feraces
Suget iners paliurus agros:
Sed alba rubris lilia cum roſis
Canæque nardi flantibus annuent
Hinc inde ventis; atque in omni
Alta Ceres fluitabit aruo.
Tunc ipſa labens æthere Fauſtitas
Paſſim per urbes nectet & oppida
Lætas Napæarum choreas,
Quam niueus Pudor, & ſolutis
Per colla paſſim Simplicitas comis,
Rerumque plenis Copia cornibus
Priſcoque gauiſæ ſequentur
Naïades Dryadeſque cantu.
Hæc vera dicar tunc ego præſcius
Dixiſſe vates: tunc mea carmina
Diſcenda grandæui parentes
Virginibus pueriſque dicent.
Fruſtrà: nam in vrnâ ſurdus & immemor
Iacebo puluis. me tamen integræ
Lauri coronabunt iacentem, &
Circùm hederæ violæque ſerpent.

AD

IANVSSIVM SKVMINVM TISZKIEVVICIVM PALATINVM TROCENSEM.

Cùm BARBARAE NARVSZEWICIAE coniugi cariſſimæ iuſta perſolueret.

ODE XXX.

SI tibi pollicitum numen, ſi fata fuiſſent,
Æternos fore coniugis annos;
Iure per aſſiduos, Procerum fortiſſime, fletus
Ereptam quererêre, IANVSSI.
Quem Pietas, quem non moueat non triſtibus vmquam
Arx animi concuſſa procellis,
Et Pudor, & proni niueo de pectore ſenſus,
Et regina Modeſtia morum,
Aut bona ſedulitas, aut non incauta futuri
Præſagæ ſolertia mentis?
Prouida ſed longum magnis virtutibus æuum
Non audent promittere Fata:
Nec poſſunt, ſi quæ maturauêre, profanis
Aſtra diu committere terris.
Nunc adeò parces longis onerare querelis
Depoſitum repetentia magnum,
Ingentes animi gazas, & robur, & aureo
Incoctum benè pectus honeſto.
Sic Tanaquil, ſic quæ cunctantem Claudia rexit
Virgineâ ceruice Cybellen,

Quæque

Quæque maritali succeßit Theßala fato,
Et Latiis vaga Clœlia ripis;
Ante diem raptæ viuunt poſt funera, vatum
Perpetuos in carmine faſtos.
Illa quidem non ſi ſurdos ad carmina Manes
Orpheâ teſtudine vincam,
Eductas adamante fores, & ahenea rumpat
Elyſij pomœria muri,
Reddaturque tibi. Stat nulli ianua voto,
Nullis exorata Poëtis.
Sunt tamen exiles inſigni in limine rimæ
Quà poßint arcana videri,
Hàc ego, ſi nullos fallunt in-ſomnia maneis,
Aut vidi aut vidiſſe putaui
Errantem campo in magno, quem gemmea circum
Perſpicuis ſtant mœnia portis:
Auro prata virent; arbor crinitur in aurum;
Criſpantur violaria gemmis,
Quæ nec Apellæus liquor, nec pulchra Trigoni
Aßimulent mendacia vitri.
Centum ibi formoſis in vallibus Heroïnæ
Æternum Pæana frequentant.
Stant virides campo ſtellæ, madidiſque coruſca
Conniuent ſibi ſidera flammis.
Illa inter medias paruo comitata nepote
Et roſeo viuacior ore,
Ibat ouans, grandemque ſibi, grandemque nepoti
Nectebat de flore coronam.

Cetera me vetuit magni caligo Sereni
Mortali percurrere visu.
Nec tu plura velis. satis est, cui fata dederunt
Æternis mutasse caduca.

AD PHILIDIVM MARABOTINVM.

ODE XXXI.

VIdes vt altum fluminis otium
Rerum quietâ ludit imagine,
Solemque lunamque & sereno
Picta refert simulacra cælo.
Talem seueræ lege modestiæ
Compone mentem: seu caput horridis
Fortuna circumsultat vndis,
Seu placidâ tibi mulcet aurâ,
Innube semper rideat aureo
Pectus Sereno: quò meliùs sacros
Deique Naturæque vultus
Non dubiis imitetur vmbris.
Pulchrum est quietâ mente volatili
Instare Vero, nec trepido gradu
Vrgere Naturam, nec inter
Ambiguas fluitare caussas:
Sed mente fixâ ducere liquidos
Rerum colores, & capitis sacrâ
Ab arce prospectare Verum, &
Fixa suis sua rebus ora.

Frustrà

Fruſtrà proteruis fræna damus feris,
Si nulla noſtræ fræna proteruiæ
Aptamus. excuſsère cælo
Non vacui Phaëtonta fræno,
Sed lege, currus. qui refugit ſui
Rex eſſe regni, neſciet exteri:
Quicumque dat ſibi regendo,
Ille poteſt dare iura mundo.
Vt mentis almo cuncta premas ſinu,
Ipſum ſeueris te preme legibus:
Sic tu probis ſolers miniſter
Conſiliis, ego fidus auctor.

AD ALBERTVM TVRSCIVM.

De ſuis ſomniis & lyricis.

ODE XXXII.

TVRSCI, ſeu breuior mihi
Seu pernox oculos compoſuit ſopor,
Pennas Somnia læuibus
Affigunt humeris; iamque virentia
Lætus prata ſuperuolo,
Quà ſe cumque nouum mollè tumentibus
Campis explicuit nemus,
Herboſæque patet ſcena ſuperbiæ:
Mox & nubibus altior,
Miſtus flumineis ales oloribus,
Viuos deſpicio lacus,
Et dulci volucrem carmine mentior.

Jam tunc nubila, iam mihi
Blandis diſſiliunt fulmina cantibus;
Et quæ plurima circuit
Collum, puniceâ vincior Iride.
Jdem iam vigil, & meus,
Non ingrata ſimul ſomnia diſpuli,
Cùm ter mobilibus lyram
Percuſſi digitis, immemor & ducis
Nil ſectator Horatij,
Sublimis liquidum nitor in aëra;
Et nunc littora, nunc vagas
Siccis traiiciens paſſibus inſulas,
Nil mortale mei gero, & ſi
Iam nil ſollicito debeo ponderi.
TVRSCI, *ſæpè tamen mones,*
Olim ne veteri clarior Icaro
Veris fabula caſibus
Mutem Parrhaſij nomina Balthici.
Fruſtrà: nam memor Icari,
Addo ſtultitiæ conſilium breui:
Nam, ſeu dormio, me torus;
Seu ſcribo, ſtabili ſella tenet ſitu.

AD

AD D. VIRGINEM MATREM.

Cùm in inclytâ Vilnensi Societatis IESV Academiâ Curriculo Philosophiæ finem imponeret, scholasticam prælecturus Theologiam.

ODE XXXIII.

ET iam quietis anchora puppibus
Littus momordit. soluite carbasa,
Proramque, malumque, & virenti
Remigium religate lauru.
O cui frequenti plurima supplicat
Stagira portu; si tibi consona
Respondet ex omni iuuentus
Turre, Palæmoniique flammis
Risêre montes; si tibi peruigil
Depræliantûm exercitus ignium
Hinc pugnat atque hinc, atque ahena
Puluereo tonat ore moles:
Emancipatis adde clientibus
Gratam laborum, nec vacuam tui,
O VIRGO, *pubem; siue castris*
Siue tibi famuletur aris.

AD QVINTIVM TIBERINVM.

ODE XXXIV.

DIuitem numquam, TIBERINE, *dices,*
Cuius Eois potiora glebis

Rura,

Rura, Fortunæ ſine fæce pulcher
Riuus inaurat;
Quem per inſigneis geniale ceras
Stemma clarauit; vaga quem per vrbes
Quem per & gentes radiante vexit
Gloria curru.
Pauper eſt, qui ſe caret; & ſuperbè
Ipſe ſe librans, ſua rura latam
Addit in lancem, ſocioque fallens
Pondus in auro,
Ceteris paruus, ſibi magnus vni,
Ipſe ſe neſcit, pretioque falſæ
Plebis attollit, propriaque ſe mi-
ratur in vmbrâ.
Splendidam verâ ſine luce gazam,
Turgidum plenâ ſine laude nomen
Mitte; te ſolo, TIBERINE, *diſces*
Eſſe beatus.

AD PAVLVM COSLOVIVM.

ODE XXXV.

IAmpridem tepido veris anhelitu
Afflarunt reduces arua Fauonij;
Iam ſe florida vernis
Pingunt prata coloribus:
Stratus frugiferis Vilia puppibus
Grato præterabit rura ſilentio,

Quamuis

Quamuis proximus omni
Collis personet alite;
Quamuis & viridi pastor ab aggere
Dicat gramineâ carmina fistulâ,
Et qui nauita debet
Plenis otia carbasis.
Æquas Palladiis, PAVLLE, *laboribus*
Interpone vices. Cras simul aureo
Sol arriserit ore
Summorum iuga montium,
Scandemus viridis terga Luciscij,
Quà celsâ tegitur plurimus ilice,
Et se prætereuntûm
Audit murmura fontium.
Illinc è medio tota videbitur
Nobis Vilna iugo; tota videbitur
Quæ Vilnam sinuosis
Ambit Vilia flexibus.
Illinc picta procul quæ radiantibus
Fulgent fana tholis, & geminam super
Despectabimus arcem,
Magni regna Palæmonis.
Vt longo faciles Pacis in otio
Se tollunt populi! nam tria tertio
Surrexêre sub anno
Priscis templa Quiritibus;
Et quà conspicuis se Gediminia
Iactant saxa iugis, & Capitolium,

Et quæ tecta ſuperbis
Intrant nubila turribus.
Auget magna, Quies: exiguus labor
In maius modico prouenit otio.
Hinc & terga virentum
Latè proſpice collium.
Quæ nunc mobilibus nutat Eteſiis
Segni cana ſtetit ſub niue populus:
Qui nunc defluit, altâ
Hæſit ſub glacie latex:
Qui nunc purpureis floret ager roſis,
Immoto ſterilis delituit gelu:
Verno quæ ſtrepit ales,
Hiberno tacuit die.
Ergo rumpe moras, & ſolidum graui
Curæ deme diem. quem tibi candidus
Spondet veſper, & albis
Cras Horæ reuehent equis.

AD EQVITES POLONOS ET LITHVANOS.

Amphion, ſeu Ciuitas benè ordinata.

ODE XXXVI.

EXteros mores prohibete pulchrâ
Lege, Thebani; patriaſque leges
Et pios ritus, & auita gnatos
Sacra docete.

Templa

Templa Fas ſanctum, Fora luſtret Æquum;
Veritas, & Pax, & Amor per omnes
Ambulet vicos: ſcelus omne caſtâ
Exulet vrbe.
Nullus eſt murus ſceleri. per altas
Vrbium turres, tripliceſque portas
Pœna perrupit. Vigilant in omnes
Fulmina culpas.
Concolor Vero Dolus, & ſuperba
Exulet regni ſitis, & cupido
Deſidis lucri, tacitoque ſegnis
Copia luxu.
Publicos diſcat geminare cenſus
Sæua paupertas; & in arma ferrum
Sit ſatis. rapto malè pugnat olim
Miles in auro.
Siue res bellis agitanda, ſiue
Pace; collatas ſociate vires.
Alta centenis meliùs recumbunt
Templa columnis:
Inter errantem ſcopulos carinam
Certiùs plures docuêre ſtellæ:
Fortiùs proram gemino reuincit
Anchora morſu.
Gliſcit æterno ſociale nexu
Robur. arcanas opulentiorum
Ira per rixas agitata magnas
Eruit vrbeis.

Hæc vbi dulci modulante neruo
Dixit Amphion; ter eunte fluctu
Substitit Dirce, ter opaca mouit
Terga Cytheron.
Saxa repserunt, scopulique, circum
Deuio campos petiêre saltu,
Et nemus, pronusque silex ab alto
Monte cucurrit.
At simul Vates tacuit; per omnem
Barbaræ rupes coiêre murum, &
Septies clausæ steterunt aheno
Cardine Thebæ.

MATHIÆ CASIMIRI SARBIEVII SOCIETATIS IESV LIBER EPODON.

AD PAVLVM IORDANVM VRSINVM BRACCIANI DVCEM.

Bracciani agri amœnitatem commendat, ad quam per ferias Septembres ſeceſſerat Româ.

ODE I.

Hvc ô quietis apta Muſis otia,
Leueſque Ludorum chori;
Huc feriantûm Phœbe Muſarum pater;
Huc hoſpitales Gratiæ;
Huc delicatis ite permiſti Jocis
Non inuerecundi Sales:
Hîc otioſi mite Bracciani ſolum
Vago coronemus pede.
Clemens ſupino cliuus aſſurgit iugo,
Cælumque paulatim ſubit,
Et ſolida ſubter terga ſcopulorum arduo
Securus inſeſſu premit:
Arciſque iactat inter alta turrium
Inſigne propugnacula,

Timenda quondam Cæſarum turmis ducum,
Timenda magno Borgiæ,
Cùm per minantûm militum æratos globos
Metuenda iaceret fulmina,
Ageretque profugum Cæſarem, & quaſſum metu,
Aduſque promiſſum NIHIL.
Hîc ille magnus frænat Etruſcas opes
VRSINVS *Heroum decus,*
Heres auitæ laudis, & princeps caput
Magnæque laus Oenotriæ.
Circùm coruſcis ſcena quercetis viret,
Cælumque verrit frondibus,
Suoſque colles veſtit, & patentibus
Seſe theatris explicat.
Admota muris ponè Nympharum domus
Aprica præbet littora:
Ripamque Baccho iungit, & vallum propè
Lentis flagellat fluctibus.
Maiore nuſquam ſtagna Neptuno ſonant,
Aut æſtuantis Larij,
Aut qui ſeuero tangit Albanus lacu
Inenatabilem Styga:
Aut quæ procellis gaudet, & magno fremit
Superba ponto Iulia:
Nec maior vſquam ſpumat, & rupes truci
Benacus aſſultat ſalo.
Intonſa curuo monte circumſtant iuga,
Miteſque deſpectant aquas.

Niuoſus

Niuoſus illinc terga Romanus mouet,
Cæloque diducit minas:
Illinc caducis ilicem quaſſat comis
Sublime Cymini caput:
Crudumque Boream frangit impotentibus
Depræliaturum Notis,
Terriſque latè regnat, & cæli minis
Opponit hibernum latus.
Amica ſternit interim lacum quies,
Fluctuſque fluctu nititur,
Et ipſa ſecum pigra luctatur Thetis,
Aquæque colludunt aquis:
Quas vel carina, vel citata turgido
Findit phaſelus linteo:
Pinnaque latè vitreum cogens pecus
Volente lino truditur,
Setaque piſcem ducit, & raris procul
Lacum coronat retibus.
Hinc alta lucet diuitis Pollæ domus,
Hinc pinguis Anguilaria:
Trebonianas hinc amica vineas
Vadoſa plangunt æquora:
Hinc delicati fundus Aurelî nitet,
Lymphæ ſalutaris pater:
Vndâque morbos arcet, & viuacibus
Luem fluentis eluit.
At quà ſuperbum fontibus nomen dedit,
Suumque Flora marginem,

Viuis perennes decidunt ſaxis aquæ,
Campoſque decurſu lauant,
Patremque longè Tybrin, & regem ſonant,
Romæque ſeruitum fluunt.
Sincera circùm regna naturæ nitent,
Et artis immunes loci:
Adhucque virgo ſulcus, & montes adhuc
Molleis inexperti manus,
Meramque Bacchus Tethyn, & Bacchum Thetis,
Et pinguis inuitat Ceres.
Hinc ille lætus ſurgit, & tenacibus
Inſerpit vlmis Euius,
Vdoque cornu turget, & fluentibus
Crinem racemis impedit.
Non Leſbos illi, non odorati magis
Vineta rident Maſſici,
Aut quæ Falernis educata ſolibus
Sublucet vuæ purpura.
Sed nec Faliſci glaream malit ſoli,
Nec pinguis vber Rhætiæ;
Nec flaua tantùm culta felicis Cypri,
Graiámve dilexit Rhodon:
Quantùm ſuis ſuperbit, & ſeſe ſuis
Miratur in canalibus.
Circùm beatis imperat campis Ceres,
Lateque rura poßidet:
Et arua flauo meſſium fluctu tument,
Motuque culmorum natant.

Innube

Innube rarus inquinat cælum vapor,
Aut tensa nimbis vellera:
Aut è Boreis bella ventorum plagis,
Raucusque siluarum fragor
Auditur vsquam: non proteruis insonant
Exercitati Syrtibus,
Euris & Austris contumaces Africi,
Et perduellibus Notis.
Tantùm serenus Vesper, & tenerrima
Etesiarum flamina,
Albíque soles, & serena lucidis
Aspirat aura montibus:
Puramque cælo prouehunt Horæ facem,
Et Phœbus Horarum pater
Peculiari luce colles irrigat,
Pronâque perfundit die.
Ramis tepentes ingruunt Fauonij
Iocantis auræ sibilo,
Et temperatis prouocant suspiriis,
Leníque somnum murmure.
At non loquaceis interim nidi tacent,
Matresque nidorum vagæ.
Sed aut maritis turtur in ramis gemit,
Et saxa rumpit questibus,
Aut læta latè cantibus mulcet loca
Famosa pellex Thraciæ,
Siluisque coràm plorat, & crudelibus
Accusat agris Terea:

Quæcumque mœstæ vocibus dicunt aues,
Respondet argutum nemus.
Affatur alnum quercus, ornum populus,
Affatur ilex ilicem,
Et se vicissim collocuta redditis
Arbusta solantur sonis.
Huc ô Quiritûm ductor, huc Oenotriæ
O magne regnator plagæ
IORDANE, *tandem plenus Vrbis & fori,*
Rerumque magnarum satur,
Sepone curis temet, & domesticis
Furare pectus otiis.
Hîc vel tuarum lene tranabis vadum
Opacus vmbris arborum,
Tuosque colleis inter, & tuas procul
Perambulabis ilices:
Vel cùm Decembri campus, & primâ niue
Vicina canescent iuga;
Nunc impeditas mollibus plagis feras,
Siluamque præcinges metu:
Nunc incitato capream rumpes equo,
Teloque deprendes aprum;
Iactoque ceruos collocabis spiculo,
Furesque terrebis lupos.
Quòd si Latinæ laus ALEXANDER *plagæ,*
Sacræque sidus purpuræ,
Tecum paterno feriabitur solo,
Seseque curis eximet;

Tuique

Tuique ciues, hospitesque ciuium
Toto fruemur gaudio.

AD FONTEM SONAM, in patrio fundo, dum Româ rediisset.

ODE II.

Fons innocenti lucidus magis vitro
Puraque purior niue,
Pagi voluptas, vna Nympharum sitis,
Ocelle natalis soli,
Longis viarum languidus laboribus
Et mole curarum grauis
Thuscis ab usque gentibus redux, tibi
Accline prosterno latus:
Permitte siccus, quà potes, premi; cauâ
Permitte libari manu.
Sic te quietum nulla perturbet pecus,
Ramúsve lapsus arbore:
Sic dum loquaci prata garritu secas,
Et lætus audiri salis;
Assibilantes populetorum comæ
Ingrata ponant murmura
Tibi, lyræque Vatis: haud frustrà sacer
Nam si quid VRBANVS *probat,*
Olim fluenti lenè Blandusiæ nihil
Aut Sirmioni debeas.

PALINODIA
ad ſecundam libri Epodon Odam Q. HORATII FLACCI,

Beatus ille qui procul negotiis.

LAVS OTII RELIGIOSI.

Cùm amœnam Collegij Societatis IESV Vilnenſis Nemecinæ villam per Sextileis Ferias inuiſeret.

ODE III.

AT ille, FLACCE, nunc erit beatior,
Qui mole curarum procul
Paterna liquit rura, litigantium
Solutus omni iurgio;
Nec ſolis æſtum frugibus timet ſuis,
Nec ſidus hyberni Iouis,
Rixaſque vitat & ſceleſta curiæ
Rapacioris limina.
Ergo aut profanis hactenus negotiis
Amiſſa plorat ſidera;
Aut in reductâ ſede diſperſum gregem
Errantis animi colligit,
Poſtquam beatæ lucra conſcientiæ
Quadrante librauit ſuo.
Idem, propinquâ nocte, ſtellatas vigil
Cùm veſper accendit faces,

Vt

Vt gaudet immortale mirari iubar,
Terrâque maiores globos,
Et per cadenteis intueri lacrymas
Rimosa lucis atria,
Quæ CHRISTE *tecum,* VIRGO *quæ tecum colat*
Perennis heres sæculi!
Voluuntur aureis interim stellæ rotis,
Pigrumque linquunt exsulem,
Per ora cuius vberes eunt aquæ,
Somnos quod auertat graueis.
At quando lotum Gangis aut Indi fretis
Iam Phœbus attollit caput,
Mentis profundus & sui totus minor
Irata flectit Numina:
Vel cùm sereno fulserit dies Ioue,
Aprilibusque feriis,
Assueta cælo lumina, in terras vocat,
Lateque prospectum iacit,
Camposque lustrat, & relucentem suâ
Miratur in scenâ DEVM.
En omnis, inquit, herba non morantibus
In astra luctatur comis:
Semota cælo lacrymantur, & piis
Liquuntur arua fletibus:
Ligustra canis, & rosæ rubentibus
Repunt in auras brachiis;
Astrisque panda nescio quid pallido
Loquuntur ore lilia,

Et ſerò blandis ingemunt ſuſpiriis,
Et manè rorant lacrymis.
Egóne ſolus, ſolus in terris piger
Tenace figor pondere?
Sic & propinquas allocutus arbores,
Et multa coram fontibus
Riuiſque fatus, quærit auctorem DEVM
Formoſa per veſtigia.
Quod ſi leuandas mentis in curas vigil
Ruris ſuburbani domus,
Quales Luciſci, vel Nemecini Lares,
Vdúmve Beſdani nemus
Rudeis adornet ruſticâ menſas dape
Siccos ſub Auguſti dies;
Iam tunc ſub ipſum limen, aut domeſticâ
Lenis ſub vmbrâ populi,
Exſpectat omnis hoſpitem ſuum penus,
Et concha ſinceri ſalis,
Preſſíque meta lactis, & purus calix,
Et hoſpitalis amphora,
Et fraga, raris verna quæ dumis legit,
Iucunda panis præmia.
Non me ſcari tunc, non Lucrinorum grauis
Sagina mulorum iuuet:
Sed cereus palumbus, aut turtur niger,
Aut anſer amnis accola,
Et eruditam quæ fugit gulam faba,
Lætumque, nec ſimplex olus,

Et quæ ſuprema colligetur, ac graui
Patella nil debet foro.
Poſthæc vel inter læta quercetis iuga,
Vel inter amneis iuuerit
Vitare triſteis poſt meridiem Notos
Sub æſculo vel ilice;
Nigrúmve littus, aut opaca lubricis
Tranare ſtagna lintribus,
Iactáque fruge ludibundum ducere
Tremente piſcem lineâ.
Remugit ingens interim tauris nemus,
Vmbroſa balant flumina;
Et aut in antris garriunt acanthides
Aut in rubis luſciniæ.
Hinc per rubeta paſtor errantes capras
Vocante cogit fiſtulâ:
Illinc herili meſſor è campo redux
Alterna plaudit carmina,
Et preſſa ſectos plauſtra per ſulcos gemunt
Ruptura ruris horrea.
At nec tacemus ponè conſidentium
Dulcis manus ſodalium;
Nec inficetâ ſermo differtur morâ,
Sed innocentibus iocis,
Multoque tinctus, ſed verecundo ſale,
Innoxium trahit diem.
Hæc ſi videret fœnerator Alphius,
Olim futurus ruſticus,

Quam

Quam collocarat Idibus pecuniam,
Nollet Kalendis ponere.

DE PVERO IESV in VIRGINIS MATRIS sinu.

ODE IV.

AMemus. an Massilus, aut nostris riget
Alpinus in venis silex?
Amemus. en vt pronus è Matris sinu
In nostra pendet oscula;
Qualis seuera vel Gelonorum puer
Mollire posset pectora!
Vt lumen oris, vt renidentes genas,
Vt bina frontis sidera,
Niuesque colli, quasque purus & tener
Titan inaurauit comas,
Eburneasque tendit in collum manus!
Vt annuit totus rapi!
Vt hospitali vagit admitti sinu,
Stringique brachiis rogat!
Amemus; aut si non amare possumus,
Repentè possimus mori.

Ad pedes CHRISTI in cruce morientis Auctor prouolutus.

ODE V.

HInc vt recedam, non trucis ferri minæ,
Non nudus ensium timor,

Vmquam

Vmquam reuellent à tuâ IESV *cruce*
Hoc multa fleturum caput.
Me teque tellus inter & cælum ruat,
Verſique tempeſtas maris,
Mixtuſque flammis nimbus, & ter igneis
Caducus aër imbribus:
Iacebo fixum pondus, & certum mori,
Suique non vſquam ferens;
Tuoſque clauos & tuas amantibus
Ligabo plantas brachiis.
At tu ſereno, nam potes, vultu tuum
Tuere, IESV, *ſupplicem:*
Et hoc, Patri quem reddis, haud euanido
Me ſtringe paullùm ſpiritu.

CARMEN SÆCVLARE DIVINÆ SAPIENTIÆ,

in anno ſæculari M. DC. XXV.

Cùm VRBANVS VIII. Pont. Opt. Max. portam auream aperiret.

In gratiam PAVLI FRIGERII Romani, publicè de Philoſophiâ diſputaturi.

Diua terrarum pelagique præſes,
Dicta ſublustres habitare nubes
Inter, & latè cohibere pictis
Sidera frænis,

Patris æternas imitata flammas,
Pura ſinceri ſoboles Sereni,
Mentis arcanum iubar, & coruſcæ
Filia lucis:
Par Patri natum ſine matre Numen,
Candor aſpecti ſine nube Veri,
Ingenî proles, genialis almi
Pectoris ardor:
O ſacer mundi lepor, ô decoræ
Fabra naturæ facies, paternæ
Mentis exemplum, liquidi ſerenus
Luminis imber:
Patris interpres, ſimiliſque voci
Nata fecundo Genitoris ore,
Vena virtutum, generoſa pulchri
Mater honeſti:
Ante formoſi vaga regna cæli
Prima natales habuiſſe cunas,
Ante vagitus & anhela parui
Murmura ponti:
Antè quàm Phœbi celeriſque Lunæ
Veſper alternos reuocaret ortus,
Antè quàm montes, & opaca ſtaret
Montibus arbor:
Antè quàm tellus, & aquoſa Tethys
Regna diſſeptâ ſociaret vndâ,
Et cauas circùm ſonuêre fluctu
Littora caute:

Cæli-

Cælibi Patris generata partu,
Cælibi Patris generanda partu,
Lumen, & verum ſemel elocuti
Copia Veri:
Tu quater nexis elementa nodis
Molliter firmas, & iniqua magnæ
Bella naturæ premis, & quaternæ
Iurgia cauſæ.
Tu tuos cauſis imitata vultus
Diuidis toto ſimulacra mundo,
Numinis formam ſtudioſa vili
Effingere limo.
Cùm Pater ſacro redimiret igni
Siderum crines, tenerumque Solem,
Et rudes Lunæ radios honeſto
Comeret auro;
Pondus, & Leges, faciemque rebus
Ipſa fingebas: variæque rerum
Te penes Normæ, Numerique, & Ars, & Lucidus Ordo.
Tu vagas zonâ cohibente ſtellas
Auſa naſcentem religare Phœbum;
Auſa naſcentem nebularum amictu
Inuoluere terram.
Creſce, dicebas, ſpatioſa creſce,
Fertilis frugum pecoriſque tellus:
Hinc iugis, illinc mediĳ dehiſcant
Vallibus agri.

Creſce, dicebas: ſimul ipſa merſum
Erigit ponto caput, & refuſis
Hinc aquis, illinc ſteterunt oborti
Collibus agri,
Quæ ſimul multâ tibi riſit herbâ.
Lætior celſas reparare ſedes,
Arduum molita tholum volantis
Nube columnæ,
Diceris vaſtos equitaſſe ſupra
Nerei campos celer, & curules
Africi pennas ſuper, & iugalis
Terga Fauoni:
Rurſus obliquo redeunte gyro
Iſſe per fluctus, tibi nauis ipſa;
Iſſe per campos, tibi currus, aptis
Ipſa quadrigis:
Docta ſublimes peragrare tractus,
Docta terreſtres reſerare vectes,
Orbis obſcœnum chaos, & latentis
Vltima mundi.
Clara te Lunæ ſtupuêre templa
Soſpitem flammis iterare plantam,
Inter & nimbos & acuta ſicci
Regna Promethei.
Ad tuos lenis venit Aura frænos:
Hinc & hinc Ignes, patienſque lori
Pontus, & tractas ſine fraude Tellus
Audit habenas.

Te Dies, & Nox, & Hiems, & Æstas,
Ver, & Autumnus, properiq́ue Menses,
Et leues Horæ, rapidoq́ue cingunt
Sæcula passu.
Te vehit claro Cynosura plaustro,
Te nec iratâ mare sistit vndâ, aut
Pertinax Euri furor, aut inelu-
ctabilis Austri:
Nec minax Cauri Zephyriq́ue frater,
Cùm truces iram struit inter imbres,
Aut freto pulsum Boream vadosâ
Oppugnat arenâ.
Te renascentis videt ora Phœbi,
Quæ vel excusso glomerata fluctu
Lora, vel currum pelago cadentem
Audit Ibero;
Quæq́ue deuexo tegit astra nimbo,
Quæq́ue sublimis speculatur Vrsæ
Hispidas arces, & inhospitalis
Frigora brumæ.
Iamq́ue mortales simulata cultus
Inter humanas manifesta turmas,
Barbaram gaudes lepido cateruam
Ducere ludo:
Inter & cœtus, solidamq́ue plebem
Libero gestis volitare gressu, &
Ire per vicos, populiq́ue densas
Ire per vrbes:

Vtilis morum, placideque fortis
Certa permissi dare iura Recti, &
Siderum solers, patrioque mentem
Dicta cælo.
Qualis vmbrosâ Libanitis aurâ
Cedrus, aut læto cyparissus amni,
Qualis attollit caput è Cadanis
Silua viretis;
Qualis Eois rosa regnat hortis,
Aut Idumæis opulenta baccis
Palma, quam præterfugientis humor
Educat vndæ:
Vere tu vincis veniente flores,
Vincis Autumno remeante vites:
Vincis & succos, & odora Medi
Vulnera trunci:
Myrrheas vincis lacrymas, & vdos
Balsami rores, & ineuolutos
Cinnami libros, volucremque sicci
Corticis auram.
Pampinus multâ tibi cedit vuâ,
Cedit effusis terebinthus vmbris,
Ver & Autumnus simul os decoris
Extulit aruis.
Sceptra te circùm, Trabeæque, & altæ
Turba fortunæ, famulique retrò
Nimbus argenti fluit & frementûm
Vulgus honorum.

Prona

Prona te longè coluêre regna,
Et per insignes gradientem & imos,
Et minas Regum super, ac Tyrannorum
Ardua colla, &
Pauperum cœtus, humerosque vulgi
Ire sublimem. Tibi lætus Afer,
Et pedum Maurus minor, & supinis
Sarmata palmis
Scuta deponunt. Tibi China nuper,
China non notæ dominator actæ,
Et ferox Iapon, & Arabs Latinis
Accidit aris.
Commodet raucus tibi sistra Nilus,
Te sonet pulsis Arimaspus armis,
Te Lyci potor, vitreique dicat
Ciuis Enipei.
Prodigus laudes tibi fundat Ister
Ostiis septem; tibi manet ingens
Tibris, immensaque vehat sonorum
Mole tributum.
Tuque neglectas miserata gentes,
Nuper, heu! fœdis malè pulsa rixis,
Cassa bellorum refer, heu! pudendis
Otia terris:
Si tuam votis veneramur vrbem
Omnis Europe, Latiumque supplex
Prona certatim tulimus quaternis
Oscula portis.

Pelle vesanas, Dea, pelle cædes,
Quæque vicinis agitata pugnis
Bella durauêre sonora crudo
Sæcula ferro.
Neu nimis nostris inimica culpis
Oderis cerni: dominamque Romam
Nubium curru super, & niuosis
Vise quadrigis.

AQVILÆ RADIVILIÆ
Nuptialis Pompa.

AD PRÆSVLEM VILNENSEM
Dithyrambus.

SVrge Musa nuptiales
Æmulata voce plausus,
Per feracis arua Vilnæ
Quære flores, carpe frondes:
Carminumque mille fœta
Vere pulchro cinge, pulchro rore sparge tempora.
Parce nunc Horatiano
Alligare verba nodo:
Parce: molliora blandi
Quære plectra Claudiani;
Mitte bella, differ arma,
Hospitisque Dithyrambi voce Vilnam persona.
RADIVILAE stemma ceræ
Alitem Iouis ministrum,

Qui

Qui per auras, qui per ignes,
Mille gyros, mille tractus
Remiges fatigat alas,
Barbitique Carminumque voce, cælo deuoca.
Ales armiger Tonantis,
Blande fulminum satelles,
Mitis ignium Tyranne,
Nubiumque turbinumque
Linque serus officinas,
Carpe frondes, & paterno sterne nidum stemmati.
Carpe flores, quos maritis
Parturiuit ALBA *campis,*
Carpe frondes, quas paterni
Educauit vnda Chroni:
Quæ vel adhibêre Vilnam,
Vel propinqui lene murmur audiére Viliæ.
It volantis aura prati,
Nexilis florum procella
Pingit Euros, & remisti
Liliis pluunt acanthi:
Ludibundi veris imber
Spargit arua, spargit vrbes, tecta spargit vrbium.
Ille nubium viator
Pulcher ales, vt virentem
Nube diuidit pruinam!
Proque grandinum molesto
Deiicit ligustra nimbo,
Et roseta pro rubenti rubra iactat fulmine.
Iactat herbas, quas iocantis

Ludit inter ira venti,
Quas adhuc ſeueriore
Ore bruma non momordit,
Sed Fauonius tepenti
Fouit ore, fouit vdis Æolus ſuſpiriis.
Ite bella, quæ cruentis
Ira colligat catenis,
Perque viua regna Floræ
Nuptialis inſolenti
Vere frondeat Nouember;
Quà maritus alba calcat, quà marita lilia.
Æſtuantis arua ponti
Vexet innocenter Eurus,
Ad fugacis agmen vndæ
Ter quater reuerberatis
Aura rideat cachinnis;
Ludicri fluenta perflent ſibilis Eteſiæ.
Magne Præſul, quæ profano
Ominamur ore vates
Auſpicata verba, Sacro
Omineris ore Præſul,
Littauæ ſidus coronæ,
Littaui lumen Senatus, ſol WOLLOWICIADVM.
Sit perennis ille torrens
Illa vena iugis auri,
Eloquentis ille linguæ
Amnis irriget Senatum:
Architecta gratiarum
Illa longùm verba pronis imperent Quiritibus.

MA-

MATHIÆ CASIMIRI SARBIEVII SOCIETATIS IESV EPIGRAMMATVM LIBER VNVS.

I.

AD TARQVINIVM GALLVTIVM è Societate IESV Oratorem & Poëtam clarissimum, Cùm ei sua de Diuino Amore Epigrammata traderet.

DVM tibi diuinos iußi ferremus Amores,
Vrget Amor gressus ferre, referre Timor.
Hic trahit, hic retrahit gressus: hic pugnat, & ille:
Ille suis nixus viribus, iste suis.
Hic iaculum iacit, ille iacit: pugnatur: Amoris
Tela Timor, vitat tela Timoris Amor.
Vt tibi diuinos tandem ferremus Amores:
Victus vterque fuit, victor vterque fuit.

II.

RELIGIOSVM PAVPERTATIS VOTVM.

Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi NIHIL despiciet eam. *Cant.* 8.

VEnalem nuper cælo mercabar Amorem.
Quis credat? qui se venderet, ipse fuit.

Aurum donabam: sed emi se noluit auro.
Cùm largirer opes, reiiciebat opes.
Omnia donabam: sed noluit omnia. totum
Quod superest (inquam) si placet, aufer, Amor.
Risit: & æthereo quid inutile quæris Amori
Sollicitus pretium? da NIHIL *(inquit) Emes.*

III.

HASTILVDIVM FORTVNÆ ET DIVINI AMORIS.

Dotalis Fortunæ annulus, orbis. *Seneca.*

Deus est Sphæra: cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam. *Proclus.*

META volaturæ steterat teres annulus hastæ,
Annulus ad dociles peruia meta manus.
Annulus orbis erat: Fortuna ciebat ad Orbem,
Et simul æthereus tela ciebat Amor.
Fortunæ mediam teres annulus induit hastam:
Maior, ait, nobis meta petetur, Amor.
Et temerè iactum iaculatus in æthera telum,
Nusquam meta mea est, inquit, vbique mea est.

IV.

Veniat dilectus meus in hortum suum. *Cant. 5.*

PVlcher Amor sumpsit rudis instrumenta coloni,
Et sua deposuit tela suasque faces:
Et manibus stiuam rapuit; castique laboris
Ad sua ruricolas iunxit aratra boues.

Ilicet,

Ilicet, vt facili ſubuertit vomere corda,
Caſtaque virginibus Gratia creuit agris;
Flos, ait, vnus abeſt: ſunt cætera millia florum.
Vt nullus poſſit, CHRISTE, *deeſſe, Veni.*

V.

De S. MAMMETE Mart. à leonibus, quibus erat obiectus, intacto.

PAruus in extremam MAMMES *deſcendit arenam;*
Squallebant tenui pallida membra fame.
Horruit hanc prædam venantûm turba ferarum,
Et potuit ſeſe vincere longa fames.
Vnde proteruorum ieiunia victa leonum?
Sic docuit Martyr: ſic didicêre feræ.

VI.

De eodem.

PRætor inhumanis, MAMMES, *te dentibus offert;*
Immaturus adhuc, paruule, Martyr eras.
Præſide manſueti ſed plus ſapuêre leones,
Pro puero mores dedidicêre ſuos.
Norant ſeptenni faciles ignoſcere prædæ;
Cui Prætor rabidas iuſſerat eſſe feras.
Parcere ſi placidi puero ſciuêre leones,
Illi Prætores, tu leo Prætor eras.

VII.

Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris? *Cant.* 8.

QVò tandem meus auolauit ille,
Formoſiſſimus ille Natus, ille,
Quò tandem meus auolauit Infans?
An iam Bethlemium reliquit antrum,
Nataleſque caſas, & hoſpitalis
Fortunata petit fluenta Nili?
Obſtent culmina, fabuloſus obſtet
Aemus, Pelion, Oſſa, Pindus, Othrys;
Vt pulſum celer aſſequar Puellum,
Nimbis ocyor, ocyor procellis,
Pergam per ſaliceta, per rubeta,
Per deſerta, per aſperos hiatus,
Per ſpineta, per iliceta pergam.
An rurſus Pharias peroſus oras
Damnato redit exul è Canopo,
Tranquillamque petit redux Idumen?
Vt pulſum celer aſſequar Puellum;
Stent inter ſcopulique, frondeiſque
Siluæ verticibus minentur inter;
Damis ocyor, ocyor capellis,
Vadam per fruticeta, per vepreta,
Per dumeta, per inuios receſſus,
Per querceta, per æſculeta vadam.
An latè Solymas peragrat oras,

Et

Et pinguis iuga calcat Hermonæi,
Carmeliq́ue ſuper niuale tergum
Formoſis ſpatiatur in viretis,
Quà circumfluus elegante ripâ,
Singultantibus euolutus antris
Iordanes ſonat, & remurmurantes
Seſe fluctibus alloquuntur vndæ?
Vt pulſum celer aſſequar Puellum,
Pardis ocyor, ocyor leænis,
Curram per ſiliceta, per fruteta,
Per pineta, per obuias paludes,
Per ſaxeta, per arboreta curram.
An noſtri vitijs iniquus orbis
Centum Tænarios triumphat hoſtes,
Stellarumq́ue procul fauente pompâ
Phœbi ſcandit equos, & ordinata
Molli ſidera temperat capiſtro?
Vt lætum celer aßequar Puellum,
Fulgetriſq́ue curulibúſve flammis,
Aurigantibus Africis & Euris,
Et blandis Zephyris Fauoniſq́ue
Per lenes ferar inquietus auras,
Et deſiderij vehente pennâ
Spirantûm vehar eßedo Notorum,
Vernarumq́ue rotis Eteſiarum.
Sed quò me rapit incitatus ardor?
Ambo ludimur, ambo: dum Puellum
Quæro, quærit & ipſe me Puellus,

Et

Et vastos procul obsecrat recessus:
Obtestatur agros, nihilque de me
Respondentia scisitatur arua:
Sic & me fuga ludit & Puellum.
Stabo. quemque vagum nequit, videbo
An possit DEVS *inuenire stantem.*

VIII.

De D. MARIA MAGDALENA.

Per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea. *Cant.* 3.

ET gemit, & miseris singultibus astra lacessit,
Et salso teneras irrigat amne genas.
Et caua per, per acuta celer, per inhospita fertur:
Et per aperta fugax, & per iniqua ruit.
Quid facit ad tantos tam prodiga lacryma cursus?
MAGDALIS *in lacrymis nauigat ipsa suis.*

IX.

De Puero IESV nato.

QVid esse possit hoc Puello carius,
Cui mellis ore plena manat copia,
Illime plenis balsamum riuis abit,
Et liberali nectar amne labitur,
Stellæ serenis illigantur crinibus,
Puraque cirri luce ceruicem rigant,
Et è biscultâ siderum natus face
Pectit coruscas aureus pecten comas?

Sed

Sed exoletâ naſcitur Puer casâ,
Et exquilino natus in ſimo iacet,
Dextráque culmum prenſat, & fœnum premit;
Cæloque coram nudus, & coram gelu
Iniuriosâ ſtringitur Puer niue.
Quid eſſe poſſit hoc Puello vilius?

X.

CASTA SED FECVNDA.

Memores vberum tuorum. *Cant.* 1.

Ibi dabo tibi vbera mea. *Cant.* 7.

VElle meas, mi Sponſe, canis te ſugere mammas:
Sic quæ Sponſa fui, iam tibi mater ero.
Ipſa tuas etiam memini me ſugere mammas:
Sic qui Sponſus eras, tunc mihi mater eras.
Ambo iterùm bibimus de mammâ ſæpiùs vnâ:
Sic ſoror ipſa tibi, tu mihi frater eras.
O Amor, vnus Amor, quos non effingis Amores?
Omnibus omnis eris, ſi tibi nullus eris.

XI.

Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius. *Cant.* 4.

ASTra rogant lenes morientia lilia nimbos,
Et roſa ſub nimio ſole precatur aquas.
Quid faciat? ventos Amor aduocat, aduocat imbres:
Irriguo quorum rore reuixit ager.

Quàm pulchri flores! quorum laſſiſſima cultu
Spirat humus ventis, ſudat Olympus aquis.

XII.

DE PVERO IESV CASTITATIS AMATORE.

Ego flos campi. *Cant.* 2.

ET eſiarum Gratiæ, vagorumque
Fauoniorum, Sarmatæque tibicen
Septemtrionis, & Britanne cum Cauro
Apeliota, Regis Æoli turmæ,
Circumuolate præpetes meum florem,
Blandoque lætùm ſibilo ſalutate:
Dulceſque malas, floreamque ceruicem,
Corallinumque floris aurei labrum
Non flante naſo, nec tumentibus buccis,
Sed complicatis oſculemini labris:
Sed antè frontem myſtacaſque nimborum
Abradat Auſter, & nouaculâ veris
Moroſus vdam tondeat Notus barbam,
Ne recta puris obſtet oſculis ſeta.
Tum verò ſudi gratiâ decens vultus
Tam delicatum baſiabitur florem,
Et lenis auræ murmur inſuſurrabit.
Adſint & omnes graminumque florumque,
Omneſque caſtæ Chloridis venuſtates;
Suaſque vadant ordinata per turmas,
Argenteorum caſtra lilietorum,
Et aureorum copiæ roſetorum:

Omnes

Omnes ſupinâ ſupplices comâ, reddant
Suo tributum laudis Imperatori,
Nouamque veris gratulentur ætatem.
Neu ſit pudori, liliiſque, nardiſque,
Proniſque calthis, cernuiſque verbenis,
Rogare velle floridæ iuuentutis
A liberali Rege prærogatiuam,
Et caſtitatis impetrare decretum.
Exinde pulchra conuocentur ad ſigna
Sub caſtitatis Rege militaturi,
Tecti rubente fuſilis comæ criſtâ
Duces acanthi, militeſque verbenæ,
Amazonumque prima turma caltharum.
Eant & Indi protinus granadilli,
Et expeditis ſpiculiſque clauorum,
Hirtiſque ſpinis, lanceiſque, flagriſque,
Contra furores audeant Dionæos
Veneficorum ſenticeta philtrorum,
Herboſa contra tela, Cyprios flores,
Amaſioſque dimicare Narciſſos.
Morare miles? & vocante Bellonâ,
Sparſi per hortos otiamini flores?
Flos ecce veſtri primus agminis Ductor,
Pro caſtitatis laude præliaturus,
Se Martiali collocauit in campo.

XIII.

Lampades eius, lampades ignis. *Cant.* 8.

O Ego si fierem medio sita cardine tellus!
Sponse, tuâ starem pendula Sponsa manu.
O ego si fierem liquido torrentior amni!
Ad nutus fluerem lenior amne tuos.
O ego si fierem rapidis pernicior Euris!
Fingerer obsequiis promptiùs ipsa tuis.
O tandem, nisi sim celeri velocior igne,
Vel fieri cuperem cuncta, vel esse nihil.

XIV.

Trahe me: post te curremus. *Cant.* 1.

MI IESV, sine te per opaca, per inuia tendam;
Et potero longas te sine ferre moras?
Felix, ah felix olim tua MAGDALA, *quæ se*
Nexuerat vinctis ad tua crura comis!
Sic comes illa tuum numquam linquebat Amorem:
Tu captiuus eras illius, illa tui.
Altera, ne dubites, ego sũ tua MAGDALA, CHRISTE:
Ergo trahas vel me, Sponse, vel ipse mane.

XV.

Ad omnia versatilis.

CAstus Amor ramo pharetram commendat & arcum;
Arma valete: nouum me vocat, inquit, opus.

Plana

Plana per æquales se strauerat area campos,
In glacie qualem Dædala fingit hiems.
Hîc Amor, adducto ludentis more flagello,
Ludendi locus est, sed trochus, inquit, abest.
Eia cor huc prodi, clamo: cor prodit, & inde
Dum putat esse trochum, cor mihi versat Amor.

XVI.

D. MAGDALENA sub Cruce flens.

AH sitio! clamas: absunt his rupibus vndæ;
Sola fluunt oculis flumina, sola bibe.

XVII.

Reuertere Sulamitis. Reuertere dilecte. *Cant. 2. & 6.*

INsequeris, fugio: clamasque, Reuertere, IESV:
Et reduces ad te flecto repentè vias.
Insequor, ipse fugis: clamoque, Reuertere IESV:
Et faciles ad me flectis amice vias.
Assequeris, fugio: fugis, assequor: ô bonus error!
Obsequij felix ô in amore fuga!
Ad te, ne fugias, tua me fuga, CHRISTE, reducet:
Dux tibi ne fugiam, vel meus error erit.

XVIII.

SACRI STVDIOSVS OBSEQVII CADAVER EST.

Fortis est vt mors dilectio. *Cant. 8.*

VT scires, quo, CHRISTE, tui flammarer amore;
Non vnus pro me nuntius iuit amor.

Cor ad te misi; cor non est, CHRISTE, *reuersum:*
Mitto voluntatem, CHRISTE; *nec illa redit.*
Vt tandem totam posset tibi dedere mentem,
Intellectus erat missus; & ille manet.
Nunc animam mitto: quòd si non illa redibit,
O ego quàm viuum, CHRISTE, *cadauer ero!*

XIX.

Epitaphium viuo.

ET viuo, & morior. quid inanes demoror auras?
Quid iuuat ambiguis nectere fata moris?
Construe perpetuis halantem floribus vrnam,
Et tumulum nobis pone superstes Amor.
Hìc sepeli miserum, & lacrymis adsperge iacentem,
Et duo marmoreis carmina cæde notis:
Et viuo, & morior. possis in amore Viator
Et quo viuo, mori; & viuere, quo morior!

XX.

BERNARDINO HOSTI missa Imago CHRISTI cruci affixi.

ME segnis non figis Amor? sunt omnia præstò:
Crux arcus, iaculum CHRISTVS, *& Hostis ego.*

XXI.

Super riuulos aquarum.

ERrabam nuper vitreas prope Tibridis vndas,
Quà solet ad scopulum naufraga lympha queri.

Dice-

Dicebam: Mea lympha, meos lacrymeris amores,
Nam me iam lacrymæ deſtituêre meæ.
O ego ſi poſſem fieri tam prodigus amnis!
Æternâ fluerem pulchra per arua fugâ.
Hæc ego: ſed tacitas ſuſpendit lympha querelas:
In me mutari forſan & ipſa cupit.

XXII.

Imago B. STANISLAI KOSTKAE Romana.

QVis te tam lepidâ mentitur imagine pictor?
Quæ tam viua tuas temperat vmbra genas?
Tu palles, pallet. quòd ſi rubet illa, rubeſcis.
Tu vitâ, vitâ non caret illa ſuâ.
Tu ſine corde manes; manet hæc ſine corde: loquente
Te, loquitur; viſus te iaciente, iacit.
Par eſt laus vobis, diſparque: fidelis imago
Illa tui; ſed tu STANESILAE *Dei.*

XXIII.

Nuntietis ei, quia amore langueo. *Cant.* 5.

POrrigo dum terris aures, dum ſurrigo cælo:
Clamat, Ama, tellus; clamat Olympus, Ama.
Sint irata licet, gelidum mare ſuadet amare,
Fulgur amore micat, fulmen amore tonat.
Aura tuos Jgniſque mihi commendat Amores,
Saxa repercuſſis vociferantur aquis.
Non opus eſt poſthac nobiſcum, CHRISTE, *loquamur:*
Orator noſtri mundus Amoris erit.

XXIV.

XXIV.

Amor Diuinus.

COr mihi clamat, Amor clamat: Cor dormit, & ille.
Ambo tacent: surgit Cor mihi, surgit Amor.
Cor mihi plorat, Amor plorat: Cor ridet, & ille.
Ambo canunt: plaudit Cor mihi, plaudit Amor.
Téne verecundi Cor Amoris dixero fratrem?
Téne mei fratrem dixero Cordis, Amor?
Nescio, quid sit Amor Cordi, quid Cor sit Amori?
Hoc scio quòd totus Cor ego, CHRISTVS *Amor.*

XXV.

Osculetur me osculo oris sui. *Cant.* 1.

QVærebam nostris si quis daret oscula labris,
Dum meus, heu! longo tempore Sponsus abest.
Oscula poscebam cælum: dabat oscula cælum:
Sed satiare meas non potuêre genas.
Oscula poscebam terram: dabat oscula terra:
Sed fuerant tactis asperiora petris.
Terra vale, cælumque vale, dabit oscula Sponsus:
O essent, quot sunt vota, tot ora mihi!

XXVI.

Meliora sunt vbera tua. *Cant.* 1.

HInc mihi se Tellus mensâ ponebat in vnâ,
Fruitans tacito murmure: Sponsa sede.

Illinc

Illinc se paterâ mare propinabat in vnâ,
Increpitans rauco vortice: Sponsa bibe.
Tunc ego: Terra tuos nolo, Mare nolo liquores:
Tu mihi, Sponse, fames; tu mihi, Sponse, sitis.
Audiit, & geminum Sponsus mihi protulit Vber:
Tu mihi, Sponse, cibus; tu mihi potus eris.

XXVII.

De Angelo B. ALOYSIO astante.

QVàm benè siderei vultus imitatur Ephebi,
Et simili ridet lacteus ore puer!
Hic niueis par est, niueis par ille liguſtris:
Ille rosâ, multâ purpurat iſte rosâ.
Pura verecundo ſublucent lumina ſole:
Et roſeus teneras ſtat pudor ante genas.
Diſſimiles habitu, ſimiles ſibi moribus ambo:
Dicite, ſint ſimiles, diſſimiléſne magis?

XXVIII.

De eodem.

ANgele, GONZAGA es, ſi pictas exuis alas:
Si GONZAGA alas induis, Angelus es.

XXIX.

Venatio Amoris.

VEnatum cæli croceos Amor ibat in agros:
Sed, qui corda pius depopulatur Amor.

Occurrêre lupi, procul occurrêre leones,
Et procul in iaculis hiſpidus ibat Amor.
Ecce volaturæ vix erupêre ſagittæ,
Protinus æthereæ procubuêre feræ.
Quid clauſum tam ſæua iuuat cuſtodia cælum?
Pandit Amor planas per fera monſtra vias.

XXX.

Venatio Amoris & Iesv.

SVrge, volaturas Amor eiaculare ſagittas:
Es mihi meta Deus, ſum tibi meta Deus.
Corda cruentandis pateant tua, CHRISTE, *ſagittis,*
Vt fias iaculis ſaucia præda meis.
Corda cruentandis pateant mea, CHRISTE, *ſagittis,*
Vt fiam iaculis ſaucia præda tuis.
Quàm tibi, CHRISTE, *capi, venari tam mihi dulce:*
Quàm tibi venari, tam mihi dulce capi.

XXXI.

SAGITTA DIVINI AMORIS.

Vulneraſti cor meum. *Cant.* 4.

ILla ego ſidereis deprompta Sagitta pharetris,
Quam pius ad Superos eiaculatur Amor,
Quæro meam, ſed quæro meo ſine vulnere metam;
Nam mea non didicit vulnera ferre manus.
Quis credat, potuiſſe dari ſine vulnere metam?
Hîc requieſce meo vulnere, CHRISTVS *ait.*

Acce-

Accelero, metamque premo sine vulnere: sed iam
Ne possem vulnus figere, vulnus erat.

XXXII.

B. ALOYSIVS pingitur inducto super togam linteo.

PVlchra Dies, & Nox pulchræ germana Diei,
Artificem puero fortè locabat acum:
Altera prætextam, longam dabat altera pallam;
Illa nigram, niueam neuerat illa togam.
Quos puer vt riguos in se conspexit amictus,
Et Nox, & moto fulsit ab ore Dies.
O formose puer! quò se formosior esset,
Ipsa puer te Nox induit, ipsa Dies.

XXXIII.

Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.

QVid nocti lumen, luci quid quærimus vmbram?
Nocte dies nobis est Amor: vmbra die.

XXXIV.

Fortis est vt mors dilectio. *Cant.8.*

MOrs & Amor gemini pugnant de laude triumphi,
Mors pharetrâ, pharetrâ conspiciendus Amor.
Mors ait, Expugno certis ego corpora telis:
Expugno flammis pectora, dixit Amor.
Maior, ait, mihi, Mors, victoria cedit Amore:
At mihi maior, ait, gloria cedit, Amor.

Tentarent & tela, pares nisi diceret esse
Victor vtroque Deus, victus vtroque Deus.

XXXV.

Inuersa & humi iacens retrò B. ALOYSII Corona.

QValis vbi liquidæ riguis singultibus vndæ
Proluit aprici culta Galesus agri:
Talis in assiduos lacrymis ALOYSIVS *imbres*
Liquitur, & puris pectus inundat aquis.
Scilicet ex istis nascuntur lilia riuis,
Deque pio viuus flumine potat ager.
Quid mirum? si versa retrò, si spreta Corona,
Quam dominus fletu conserit, occat humum?

XXXVI.

Eiusdem posita retrò Corona.

AVrea cùm felix diademata poneret heres,
Visa sibi raptis flere Corona comis.
Cumque suos iterùm vellet circumdare crines,
Ad domini caros procubuisse pedes.
Ipse sed acciduam pedibus calcasse coronam
Fertur, & ingratas posthabuisse preces.
Illa retrò reuoluta, iacens; Lux Principis olim,
Vmbra mei posthac Principis, inquit, ero.

XXXVII.

XXXVII.

Qualis est dilectus tuus? *Cant.* 5.

QValis erat, tuus ille? tuus pulcherrimus ille?
Dicebat nuper barbara turba mihi.
Arripio dextrâ pennam, lævâque tabellam,
Et noto, CHRISTE, *tuo quidquid in orbe noto.*
Pingo rosas, aurum, gemmas, viridaria, silvas,
Arva, lacus, celeri sidera pingo manu;
Et tabulam monstrans, Noster pulcherrimus, inquam,
Qualis erat, vultis discere? talis erat.

XXXVIII.

Caput eius aurum optimum. Manus illius tornatiles aureæ. *Cant.* 5.

POnite gemmifero frondentia serta metallo,
Pulchra triumphales ponite sceptra manus.
Rex meus est IESVS. *Rex formosissime Regum,*
Tu mihi Dictator, tu mihi Cæsar eris.
Qui sceptri fulgore caret, qui luce coronæ,
Rex, ait, ille tuus? Rex erit ille meus.
Cui caput est aurum, manus est tornatilis auro,
Illius est Sceptrum, dextra; Corona, caput.

XXXIX.

In idem sacrum Canticum.

VItis eram; nostros carpebat nemo racemos:
Flumen eram; nostras nemo bibebat aquas:

Arbor eram; noſtrâ nemo conſedit in vmbrâ:
Ductor eram; noſtrum nemo tenebat iter:
Phœbus eram; noſtro lucebat lumine nemo:
Paſtor eram; noſtras nemo ſecutus oues.
Quid faceret IESVS? *Aurum placet omnibus: Aurum,*
Vt placeam, poſthac omnibus, inquit, ero.

XL.

Veni de Libano Sponſa.

ET fugis, & fugiens clamas, Quid Sponſa moraris?
Non fugis, vt fugias: vt capiare, fugis.

XLI.

De Pullato & Linteato ALOYSIO.

QVem pullæ cernis ſquallentem in funere pallæ,
Hunc nimius ſacro terruit igne Deus.
Quid niueum, Pictor, pullo ſuperaddis amictum,
Et tegis hibernâ torrida membra niue?
Hæc, vbi ſidereos iuuenis conceperit æſtus,
A minimo Domini veſtis amore fluet.
Perge tamen liquidas gelidâ niue ſpargere flammas;
Vt liquidum à flammis diſcat amare gelu.

XLII.

Pullatus poſt Prætextam ALOYSIVS.

Alluditur ad Mincium, hoſpitalem cygnis fluuium, paternum ALOYSII ſolum.

VEctus oloriferi iuuenis prope flumina Minci,
Ibat in herboſos Caſtilionis agros.

Hic

Hîc niuei dominum cùm mirarentur olores,
Squallida mutatâ pallia ferre togâ;
Pullatum fleuêre ducem, viſuſque repentè
Plurimus attonito Cygnus ab amne queri:
Atque aliquis, Quin nos etiam nigreſcimus, inquit,
Quando tam niueus ſponte nigreſcit olor?

XLIII.

Oculi B. ALOYSII lacrymabundi.

QVis modus, ô oculi, nimiis manare fluentis,
Et teneras fletu perdere velle genas?
In fluuios liquidis abeunt duo lumina riuis,
Et lacrymæ gemini fluminis inſtar eunt.
Intereà medio fluitant ſuſpiria luctu,
Et pius irriguas ventilat Eurus aquas.
Remigium, ſocij, naues & vela paremus:
Sunt, quibus in cælum velificemur, aquæ.

XLIV.

B. ALOYSIO conſuetam meditationi horam impendenti Roſeum imminet Sertum.

PVlchra coloratis vbi pingitur Hybla roſetis,
Sicanias triplex colligit Hora roſas.
At modò quòd croceos religant tibi ſerta capillos,
Vnde repentinis emicuêre comis?
Te Matutinæ pietas modò detinet Horæ,
Illa tibi viuo tempora flore ligat.

Quot

Quot tibi mille legent formosos Sæcula flores,
Vnica millenas si legit Hora rosas?

XLV.

De eodem Serto.

IPsa Corona, rosa est puero? puer ánne Coronæ
Ipse rosa est? puer est ipse Corona, Rosæ.

XLVI.

B. ALOYSIVS sacro lumine circumfusus.

NOx erat, & posito iuuenis requierat amictu:
Venit Amor; positâ se tegit ipse togâ.
Sic ibat! sic ipse nigrâ sibi veste placebat!
Sic erat in refluo plurima ruga sinu!
Intereà tacito vestes vruntur ab igni,
Et bibit admotas proxima palla faces.
Manè vigil positos iuuenis repetebat amictus,
Et circumfusæ luxit in igne togæ.
Non miror iuuenem tacitis arsisse fauillis;
In tacitas, miror, non abiisse faces.

XLVII.

Oculi B. ALOYSII.

BIsgeminos olim mater Natura lapillos
Pygmalioneas inter habebat opes.
His frænare comas, & eburnea cingere colla,
Hos memori nusquam mittere velle manu:

Et

Et chalybum nodis, & aheno vecte ſolebat,
Et vigili clauſos ſollicitare ſerâ.
Parua tamen caris cuſtodia viſa lapillis,
Quæve moram furto tollere poſſet, erat.
Ergo pro geminis ALOYSI *munus ocellis,*
Accendit geminas caſta per ora faces.
Tam fortunatis, inquit, cuſtodia gemmis
Firmior eſſe poteſt, tutior eſſe nequit.

XLVIII.

Lilia manu præfert ALOYSIVS.

HÆc, quæ virgineis nituntur lilia culmis,
Vnde verecundas explicuêre comas?
Non generant ſimiles Pæſtana roſaria flores,
Nec ſimili Pharius meſſe ſuperbit ager:
Non hæc purpureis mater Corcyra viretis,
Nec parit æquoreis pulſa Caryſtos aquis.
Cùm nullas habeant natales lilia terras,
Quis neget è caſtâ lilia nata manu?

XLIX.

PETRO MALASPINAE Rectori Florentino Societatis IESV.

SCitata eſt flores nuper Florentia: cingat
An bona ſpina ſuas, an mala ſpina roſas?
Optauêre malam, tangi quæ fortè volebant:
Nam mala tacturos pungere ſpina nequit.

Optauêre bonam, tangi quæ fortè negabant:
Nam bona tacturos pungere ſpina ſolet.
Sic demum variam clauſit Florentia litem,
Eſſet vt alterutris aſſita ſpina Roſis:
Nullus vt has tangat, tangantur ab omnibus illæ;
Sit bona Spina Malis, ſit Mala Spina Bonis.

L.

De capto OROMVSIO.

Quæ vrbs vulgò ab Indis Gemma orbis terrarum appellatur.

ANnulus eſt Orbis, pulcherrimus annulus orbis,
Jndutus digitis Lyſia pulchra tuis.
Non tamen ille fuit pulcher ſine diuite gemmâ;
Diues OROMVSII *nam ſibi gemma fuit.*
Gemma fuit, non eſt: ſubiti nam turbine belli
Nuper Erythreo perdita gemma luto eſt.
Ergo tuam quæres pulcherrima Lyſia gemmam
Inter barbaricos Perſica buſta ſinus.
Ecce meos (inquis) poſcunt mea regna lacertos,
Ecce meas poſcunt Chinica clauſtra manus.
Non opus eſt humeris: OROMVSIA *gemma videtur:*
Ipſe ſatis pollex, vt capiatur, erit.

LI.

IOANNI DE LVGO, dum post morbum ad intermissam de Pœnitentiâ doctrinam rediret.

FErtur inornatis nuper Metanœa capillis
Flesse, repentinâ cùm raperêre febri:
Fertur & indomito frænos laxasse dolori,
Et lacrymis madidos exhibuisse sinus.
Cùm rursus domito repetis tua pulpita morbo,
Fertur inornatas dispositisse comas:
Et domitos hilari risu frænasse dolores,
Et lacrymis vacuos explicuisse sinus.
Quis, Pater, incolumi de te non gaudeat, ipsæ
Si gaudent Lacrymæ, ridet & ipse Dolor?

LII.

Ad PONTILIANVM.

E Templis quoties redeo, Paulíve sacello,
Occurris reduci, PONTILIANE, mihi,
Ac subitus quæris: Placuêre palatia Pauli,
Et Peluſiacâ secta sacella Pharo?
Cùm dixi nitidis placuisse palatia tectis,
Et placuisse suis ardua templa tholis;
Tu rursum, fonteſque tibi circoſque placere,
Vasta placere crepas amphitheatra tibi.
A placitis ceſſa, ne Roma Placentia fiat:
Ipſe Placentinus ne videare, tace.

LIII.

AVGVSTINO VIVALDO primùm in Lithuaniâ, ac deinde Romæ Prouinciali Præpoſito Soc. IESV.

CVm te Parthenope Patrem, cùm Parma vocaret,
Optaretque ſuum Trinacris ora Patrem;
Roma ſuas dominis mundi de montibus arces
Proſpicit, & ſtudiis inuidet vna trium.
Quid faciam? Parmæ cedam? Trinacria flebit:
Parthenopæ cedam? Parma queretur, ait.
Trinacriæ cedam? Siren & Parma querentur.
Quin potiùs tantum ſortior ipſa Patrem?
Cedite iam Natæ, Matri concedite Patrem:
An non veſter erit, ſi meus, inquit, erit?

LIV.

De timido ANSA FVLVIO.

DVm bellicoſus nuper ANSA *prandentes*
In Othomanum Sarmatas adhortatur,
Prandete, dixit, milites, triumphalis
Iam cœna vobis præparatur in Cælo.
Dixit: ſed ipſe iam mouentibus ſignis,
Et buccinarum tympanique rumore
Perterrefactus, ordiente Bellonâ,
In ciuitatem primus ANSA *profugit.*
Interrogatus inde, cur fugam mallet,
Et cur ad aſtra nollet ire cœnatum?
Hac luce, fallax inquit ANSA, *ieiuno.*

LV.

LV.

AVGVSTINO VIVALDO Præpoſito Prouinciali Romano Societatis IESV.

CVm te nuper Honor liquidis circumuagus auris
Altus inauratis inſequeretur equis;
Trans Alpes Helicenque volas, vbi prenſus Honori
Dignaris meritâ Littaua fræna manu:
Cùm tamen ingratos aſpernareris honores,
Ítala feſtinâ corripis arua fugâ.
Hîc Latias iterùm caperes cùm iuſſus habenas,
Et victus meritis erubuiſſet Honor;
Non pudet à merito, dixit, me Præſide vinci:
Sed vinci toties à fugiente pudet.

LVI.

Ad PLAVTVM.

SIue peregrinas mittam tibi, PLAVTE, Camœnas,
Siue Meduſæis fuſile carmen aquis;
Non poteras, inquis, melius mihi mittere carmen,
Nec meliùs magno cum Cicerone loqui.
Non poteram meliùs? laus hæc mihi ſalſa videtur,
Quæve vel inuiti ſtipitis eſſe poteſt.
Laudari puto me meliùs potuiſſe, ſed à te
Laudari meliùs non potuiſſe puto.

LVII.

Mater NERONIS ad NERONEM.

QVò gladium vibras? vtero, mammísne minaris?
Ah reprimat cæcus barbara tela furor!
Lactabam mammis, vtero te, nate, ferebam:
Dignus erit veniâ forsan vterque locus.
Erramus. qui te miseras malè fudit in auras,
Dignus vterque mori: Cæsar vtrumque feri.

LVIII.

Eloquentia FRANCISCI Cardinalis BARBERINI.

QValis odoriferi per aprica rosaria Pindi,
Garrit Hyanteæ lubricus error aquæ:
Talis Apollineæ Procerum doctissime linguæ,
Pura Palatinas copia fundit opes.
Et tibi doctiloquæ posuêre silentia Cirrhæ,
Victaque Pegaseus comprimit ora liquor.
Sæpè loqui docto possit cum Principe Roma;
Discet ab egregio Principe Roma loqui.

LIX.

Eiusdem sacra Poësis.

CVm tibi Pierios velaret Purpura crines,
Visa sibi raptis Laurea flere comis.
Illa fuit nostris quondam data gloria ramis:
Cede meis, inquit, Purpura, cede comis.

Risit,

Risit, & è summo respondit Purpura vultu:
Cingo meas, inquit, Laurea, cingo comas.
Quid facitis? meritos ambæ præcingite crines:
Laurea Vatis erit, Purpura Regis erit.

LX.

Ad Adm. R. P MVTIVM VITELLESCVM Præpositum Generalem Soc. IESV.

EXcubat in medio tibi pulchra Modestia vultu,
Et niueus roseo regnat in ore Pudor:
Simplicitas oculis, sacrâ Facundia linguâ,
Ridet in ingenuis Gratia viua genis:
Maiestas humeros, placidam Clementia frontem,
Pura verecundus pectora Candor habet:
Præ foribus famuli, video, famulæque morantur:
Virtutem Dominam quis neget esse domi?

LXI.

Cerea NERONIS effigies in abdito reposita.

DVrus & in molli figit NERO *vulnera cerâ:*
Mollis & in duro cera NERONE *furit.*
Cerea quid frustrà Solem deuitat imago?
Ipse suo iratus diffluet igne NERO.

LXII.

In ceream Pueri IESV effigiem.

EXprimit & verum mentitur cera Puellum,
Et docet & verâ fallit Imago notâ.

Hos

Hos oculos gerit illa quidem, quos ille gerebat;
Et quas ille genas, has gerit illa genas:
Tu tamen his oculis, hoc vultu luderis hospes.
Id fieri possit quâ ratione rogas?
Materiâ peccat, non peccat imago figurâ:
Cerea materies, melleus ipse fuit.

LXIII.

In maritimam Pali munitionem Ducum VRSINORVM.

Pluereis simulant dum rauca tonitrua flammis,
Martiaque artifici fulmina nube ruunt;
Attonitis pelagi genitor Neptunus ab vndis
Sulphureo afflatum sustulit igne caput.
Ecquis, ait, nostri tranquilla silentia regni,
Et resides bello sollicitauit aquas?
Iamque sibi duci volucres adfræna quadrigas,
Tritonemque cauâ prælia flare tubâ,
Armarique Notos Tempestatesque iubebat,
Et Thetin armatis vellere signa feris;
Cùm procul VRSINI *fluitantia signa Gradiui*
Prospicit impulsis velificata Notis.
Vrsus erat signum, picto quà sutilis Vrso
Pensilis è summâ carbasus arce fluit.
Heus, ait, inceptis Hiemes absistite pugnis,
Et vos cæruleæ ponite bella feræ:
Nouimus excussum iaculantia monstra profundum:
Quæ fera concepto mugiit igne, noua est.

LXIV.

LXIV.

Ad COSMICVM DE QVINCTO.

MVlum QVINCTVS *emit: ſed cæcum,* COSMICE, *mulum.*
Vnum oculum mulus non habet: ille duos.

LXV.

De LVDOVICO XIII. Galliarum Chriſtianiſſimo Rege:

cùm primo Regni anno Rupellam ab eo expugnatam fuiſſe percrebreſceret.

LVdo vices, LVDOVICVS *ait. Mars riſit; &, Ohe*
Lude meas, inquit, Rex LVDOVICE, *vices.*
De puero, ni Rex eſſes LVDOVICE, *vererer:*
Et puer, & Rex es; regie lude puer.
Iacta Rupellani cecidit ſimul alea belli,
Ante tuos cecidit victa Rupella pedes.
Ludere perge vices, vt ſunt tibi prælia ludus:
Sic, LVDOVICE, *tibi vincere, ludus erit.*

LXVI.

Libellus de Pietate Chriſtianâ laudatus.

PIETATIS *iſte eſt liber; & auctoris tamen*
Nomen tacetur: ipſa conſcripſit, reor.

LXVII.

Ad TIMANTEM Pictorem.

PInxisti pulchrum pulchrâ cum Matre Puellum:
Nec tamen illa fuit pulchra, nec ille fuit.
Pictorem MARIAE *melius vis pingere* LVCAM?
Quis scit an errores corrigat ille tuos?

LXVIII.

De A. PERSII Satyris.

VIs PERSI *tetricas videre noctes?*
Auditor lege scripta, lector audi.

LXIX.

Tumulus coniugis PAVLI SAPIEHAE duos inter equites hastatos.

QVis iacet hic? magnâ magnus de stirpe SAPIEHA.
Quis propè? SAPIEHADES *sunt prope signa nurus.*
Quo clarus coniux? clarissimus omnibus: armis,
Pace, fide, patriâ, relligione, toro.
Quid certant equites? certant, quis viuere possit,
Vel meliore nuru, vel meliore viro.

LXX.

In cothurnatum Gallicum.

VEctari rauco pudor est tibi, Gallice, curru?
Cur ergo rauco non pudor ire pede?

LXXI.

LXXI.

Ad IOANNEM CAROLVM CHODKEVIC Ducem Exercituum Poloniæ aduersus OSMANVM Imperatorem Turcicum:

cùm Gymnasium inuiseret.

SPernere si nolis vatis præsagia Musæ,
Nil in te iuris, CAROLE, *casus habet.*
Vilnææ nuper dum mandat Apollo Thaliæ,
Grammaticâ nomen flectere lege tuum,
Cunctatur, dubitat, pallet, rubet, hæsitat, alget;
Hæc hilari tandem voce Thalia refert:
CHODKEVIC, *ait, est indeclinabile nomen:*
Robore bella gerit, Casibus ergo caret.

LXXII.

In Stemma eiusdem W. literam duodecimam inuersam.

MAgnus Alexander, Magnus Pompeius habetur,
Magnus habebaris, CAROLE, *Magnus Otho.*
Scilicet hos Magnos magni fecêre triumphi:
Te maior Magnum, CAROLE, *palma facit.*
Perlege stemma tuum: Vincis te, Vincis & hostem;
Hic quæ terra legi non putat, astra legunt.
Si dubitas: hoc ipse Deo da stemma legendum:
De cælo Magnum Maximus ipse leget.

LXXIII.

Ad ROBERTVM Cardinalem BELLARMINVM.

De piis de Æternâ felicitate, & Gradibus, &c. libellis,

quos SOPHIA MELECIA Palatina magno ſtudio paulò ante mortem euoluerat.

INgens gloria temporum tuorum
BELLARMINE, Pater, beatiorum
Facundiſſime cygne gratiarum:
Conatuſque tuos, tuaſque noctes,
Sanctæ pignora lucubrationis,
Victuros Pyliam libros ſenectam
Palatina pio terebat vſu,
Nec torpere ſinebat, anguloque
Aut ſegnes humili iacere mensâ,
Cæli delicias, Graduſque cæli:
Queis, ſacrâ pariter tuaque pennâ,
Æternam reſeras beatitatem:
Et gemmantia templa nundinaris,
Lamentis, Gemituque, Lacrymiſque.
Iſtos illa diu legens libellos
Feſtinabat, & omnibus lacertis,
Remis omnibus, omnibuſque velis
Ad cæli properabat vſque portum.

Nunc

Nunc denſis lacrymis laboribuſque,
Et denſis lacrymis doloribuſque,
Cæli nobile nundinata culmen,
Formoſis ſpatiatur in viretis.
Quid dici melius beatiúſve,
BELLARMINE, *tuis poteſt libellis?*
Palatina tuis beata libris,
Tu lectore beatus es librorum.

LXXIV.

Ad CAECILIANVM.

CVm modò MAGDALIOS *ceciniſſes carmine fletus,*
Et rapidos AFRAE, CAECILIANE, *focos;*
Continuò madidæ properata volumina chartæ
Ad nos perferri, CAECILIANE, *iubes:*
Legi. Iudicium quæris de carmine? dicam.
Digna fuit lacrymis MAGDALIS, AFRA *focis.*

LXXV.

De nouo Gymnaſij Florentini ædificio, cuius inſtauratio ſub aduentu CAROLI Auſtriæ Archiducis cœpta.

ARnus, an umbroſas inter liquidiſſimus alnos
Permeſſus Latiis luxuriatur agris?
Æſar, an Auſonias ſubterlabentia turreis
Flumina Caſtaliis vociferantur aquis?
Pindus, an audaces mediis in nubibus Alpes
Piniferis comunt frondea colla iugis?

Quidquid erit: veram referet Florentia Cyrrham,
Quam nouus Austriacâ condit Apollo lyrâ.

LXXVI.

SCAZON.

Aulam fugit ALOYSIVS.

FAllacis Aulæ pompa, criminum mater,
Quæ turbulentæ pulueream bibis pompæ,
Rituque semper fluctuantis Euripi
Et huc & illuc ambulando, cursando,
Confabulando, garriendo, ludendo,
Et vsque & vsque & vsque consalutando,
Quotidiano mersa nauigas cœno,
Centumque pictis curribus lutum rumpis.
Sis ô beata, delicata, formosa,
Morum Charybdis Aula, pectorum Circe,
Dolosa Siren, innocentiæ labes,
Fraudum satelles, officina fucorum:
Eas superbis semifulta lecticis,
Eas sereni luce pulchrior Phœbi,
Et per supinæ colla plebis incedas:
Habe venustos, aureos, capillatos,
Pictos, perunctos, deque scrinio totos
Anteambulones laudis & trahas pompæ;
Dum noster aulas ALOYSIVS *vitet,*
Centumque velis, & rudentibus centum,

Centum

Centum phaselis, palmulisque deuitet.
Habe capaces patrimonij Scyllas,
Fundi Maleas, spongias crumenarum,
Onusta laudum plaustra, nominum rhedas,
Plenas iocorum; risuumque carrucas
Ineptiarum mille turgidos folles,
Quibus dolosæ ficta dona naturæ
Vultus Poëtas, & Poëtrias linguas
Fecêre dudum, susque deque vertêre;
Quibus loquacis inficetiæ plena
Negotiosa liminum salutatrix
Famelicorum turba circulatorum
Nugasque mille vendit, & locat risum,
Fraudumque frustis mille, mille fucorum,
Mendaciorum mille, mille nugarum
Suitque subsuitque mille centones:
Dum noster aulas ALOYSIVS *vitet,*
Centumque Phœbis, & Phlegontibus centum,
Centum quadrigis Pegasisque deuitet.
Illum citato præpes impetu Virtus
Supra secures Cæsarum, & Numæ fasces,
Regumque & omne culmen Imperatorum,
Vndamque supra ciuium, & fori fluctus
Enauigantem, passibusque non tardis
Mortalitatis sæua iura calcantem,
Nimbosque latè, filiosque nimborum
Super Cometas, rauca fulminum regna,
Puerperamque grandinum & niuis Lunam

Ad

Ad vſque rerum vexit vltimos fines.
Ibi ille pulcher imperator aſtrorum,
Nouæ beatus inſtitor voluptatis,
Plenum ſonorâ gaudium bibit ripâ,
Rerumque dulci naufragatur in ponto.
I nunc ſuperba, delicata, formoſa,
I diues Aula: ſis beata, ſis pulchra,
Conchyliata, purpurata, ſis magna:
Dum te inde noſter ALOYSIVS *ridet.*

LXXVII.

Hiems tranſiit, imber abiit, & receſſit. *Cant.* 2.

In immaturam menſe Iunio B. ALOYSII GONZAGAE mortem.

O Nix! ô niueis albentia colla pruinis!
O oculi, ô niueo lumina vincta gelu!
O niueæ ceruicis hiems! O læue genarum
Frigus, & hibernâ roſcida labra niue!
O niueæ cryſtalla manus! ô mite comarum
Vellus, & intactis alba pruina genis!
Ah! vereor, ne vere nouos abeatis in imbres,
Dum celer æſtiuos Iunius vrget equos.
Siſte, precor, Iuni, crudeles ſiſtite ſoles.
Hic minimo liquidus diffluet igne puer.
Non opus eſt flammis. ſatis eſt ſibi dicat IESVS:
Ceſſit hiems, imber ceſſit: Amice, veni.

LXXVIII.

LXXVIII.

Scazon de B. ALOYSIO.

IOcose Scazon, si quid hactenus mecum
Molli sub vmbrâ populíve lauríve,
Leníve buxi pampiníve lusisti,
Valere iussis arbitrisque curisque
Mecum sub altâ feriare cupresso;
Mundóque versu simplicique dicamus,
Quid ille noster, ille ciuis astrorum,
Agit coruscis ALOYSIVS *campis?*
Non ille nostros ducit ampliùs soles:
Non hac phaselo corporis, leuis mundi
Tumultuoso fluctuatur in ponto.
Non has vocabat patrias domos vmquam:
Cælum vocabat patrias domos semper:
Huc ille remis, huc rudentibus totis,
Ipsisque plenus carbasis anhelabat:
Huc æstuantes dirigebat antennas:
Huic alligauit insulæ suam nauim.
Hîc sempiterni vere cingitur Maij,
Hîc peruagatur elegantibus campis,
Hîc rure cæli fruitur, & procul curis
Inter virentes aureis comis lauros,
Crispas cupressos, ilices capillatas
Quotidianus ambulator incedit:
Quà bruma nusquam, vel comantis Autumni
Tonsor Nouember frondeum nemus radit,

Ridétve caluos Ianuarius montes.
Sed delicatos criniuntur in flores
Æterna prata: muſici ſtrepunt luci:
Ripæ loquuntur murmurantibus riuis:
Et limpidorum margines fluentorum,
Et hinc & illinc verberante ſe fluctu,
Et hinc & illinc inuicem cachinnantur:
Manuſque pulſu, vel volubilis plectri,
Obliuioſo de ſilentij ſomno
Expergefacta ſpontè garriunt plectra:
Lenique ſubter dormiente Neptuno
Tenerrimorum mollis aura ventorum
Depectit agros: deſides hiant Euri,
Et otioſis oſcitantur in campis.
Hîc ille noſter, ille ciuis aſtrorum,
Conchyliato purpuratus ornatu,
Eunte pompâ ſiderum coronatur,
Soliſque fuluâ totus ardet in pallâ.
Et nunc per arces cælitum, per acceſſus,
Amethyſtinata templa, gemmeas ſedes,
Et ciuitatis per forum Sioneæ,
Et fulgurantûm porticus platearum,
Calcat ſuperbum ſiderum pauimentum.
Hîc LAINIVM *compellat, hîc* EVERARDVM,
Hîc lætus ambit Borgiam ſalutator,
IGNATIOve *flammeóve* FRANCISCO
Enarrat, ipſa delicatior Suadâ,
Miranda temporum acta Claudianorum:

Suoque

Suoque longos MVTIO *rogat Soles:*
Melliſque riuos; balſamique miratur
Et gaudiorum, nectariſque, lactiſque
Formoſa pictâ ſtagna traiicit cymbâ,
Et delicato nauiculatur in ponto;
Nanoſque colles, hiſpidaſque verrucas
Pulcherrimorum luſtrat ilicetorum.
O geſtientûm dulce ſiderum regnum!
Veſtrum clientem, pro laboribus tantis,
Doloribuſque, lacrymiſque, curiſque
Deſideratos recreate per campos.
Gaudete Tempe ſiderum, domus cæli:
Ridete, quidquid eſt domi Voluptatum:
Plorate, quidquid eſt foris Querelarum.

LXXIX.

IOANNIS CAROLI CHODKEVICII, Polonici Lithuanicíq; contra OSMANVM Turcicum Imperatorem Exercitus Ductoris,

Statua in hortis Mediceis.

QVem modò Threïcij pulchrâ ſub fronde triumphi
Marmoreâ ſpectas ponere bella manu:
Hic Aſiæ populos, & flaua Propontidos arma
Strauit, Abydenas depopulatus opes.
Fortis adhuc meminit bellacis dextera ferri,
Dilectumque latus conſcius enſis amat.
O niſi captiuas vincirent marmora plantas,
Iret in hoſtiles libera dextra globos!

LXXX.

In tres Fluuios, Stemma IOANNIS CAROLI CHODKEVICII, dum Templum Collegio Societatis IESV Crosense extrueret.

QVæ gemmantibus hinc & inde riuis
Currunt flumina? CHODKEVICIANAE
Currunt flumina Liberalitatis.
Non tam diuitibus superba ripis
Gaudet Lydia; non amœnitatum
Tellus mater, & elegantiarum
Felix Americe fluentis auri,
Quæ centum populis tributa soluens
Effundit facilem per arua censum,
Et crebro sata comit vnione;
Quàm quis Patria, Martiusque fulgor,
Et pictæ Superûm rigantur aulæ.
Hæc scis vnde fluant fluenta nobis?
Ostendis CAROLI *manum. sapisti.*

LXXXI.

Dictum IOANNIS CAROLI CHODKEVICII, cùm Castra ad Chocimum in Daciâ contra Byzantinum Imperatorem moueret.

VElox Fama malum tumultuosis
Dum præteruolat incitata pennis
Arces, oppida, rura, Ciuitates,
Ducentis canit, & canit trecentis,

Brac-

Braccatis canit, & canit ſagatis,
Hoſtem millibus imminere Turcam,
Et iam terga remurmurantis Iſtri
Securum ſuperambulare Martem.
Addit, Biſtonas, impioſque Thracas
Miſtos innumeris venire turmis.
Hæc dum CAROLVS *audit; Vt ſciamus*
Veri nuntia Fama num ſit, inquit,
Hic hoſtem mihi computabit enſis.

LXXXII.

Statua M. TVLLII CICERONIS apud Magnum Hetruriæ Ducem.

ORa Myron, humeros Lyſippus, lumina finxit
Praxiteles: vocem fingere nemo poteſt.

LXXXIII.

Pompa, quâ Sacratiſſimum CHRISTI CORPVS à Romanis Pontificibus ad D. Petrum deportatur.

ÆLia cur tantis glomerantur compita turmis,
Et populi toto fluctuat vnda foro?
Cur refluis feruent Vaticana palatia turbis,
Dardaniæque vomunt agmina mille viæ?
Quid iuuat æthereis populos accurrere menſis?
Vt ſatiet populos, ambulat ipſe Cibus.

LXXXIV.

PAVLO PIMELIO missum ex succino munus.

QVæ placet ipsa sibi secretæ sidere formæ,
Ridet & arcanâ succina gemma die;
Supplicibus vulgò libanda dat oscula culmis,
Libandas stipulis pulueribusque genas.
Et me, PAVLE, tuus rapit ad sua lumina candor:
Nimirum gemma es succina, puluis ego.

LXXXV.

Lætabimur memores vberum tuorum. *Cant.* 1.

Ad Sponsum cælestem.

DIcebas te velle tuis me pascere mammis,
Dum mea sollicitus pectora torret amor.
Clamabam: Mea mamma meum mihi manna ministra:
Nec tu præstò mihi, nec tua mamma fuit.
Adspicio Terras, & Cælum: forsitan, inquam,
Dextra Dei tellus mamma, siniſtra polus.
Risisti, dicens: Ipso te Numine pascam.
Os vtinam nobis Terra Polusque foret!

LXXXVI.

Reuerendo Patri LEONI SANCTIO Concionatoris munere functo, Româ discedenti.

NEc potui Latiis altum te cernere Rostris,
Quassantémve pio conscia corda metu?

Ah

Ah ſaltem pro me, cui tanta potentia fandi,
Orator magni Numinis eſſe velis:
An non id merito poſſim te iure precari,
Cui meritò poſſim dicere, SANCTE LEO?

LXXXVII.

De Diuino Amore.

REtia nectentem nuper mirabar Amorem.
(O quid non facilis fingere poſſit Amor!)
Aurea pinna fuit, lapis aureus, aurea reſtis,
Aurea compages, aurea naſſa fuit:
Aureus ipſe fuit: ſed dum ſibi flumina deſunt,
Heu mea quò vertam retia? dixit Amor.
Ad IESVM *conuerte, Puer, tua retia, dixi;*
Ipſe tibi fuerim piſcis, & ille Mare.

LXXXVIII.

In Stemma IOANNIS CAROLI CHODKEVICII: Crucem Sagittæ implexam & Calci, Tria flumina, & Grypha pedibus gladium vibrantem.

CRVX micat in telo, CRVX *altera calce coruſcat:*
Forſitan hæc Fortem nuntiat, illa Pium.
Aurea tergemino voluuntur flumina lapſu:
Iſta docent Largum flumina forſan herum.
Felicem geſtat felix auis ore lapillum:
Felicem dominum forſan & illa notat.
Quid dubitem Fortem, Felicem, & dicere Largum,
Cùm Gryphs ad voces annuat Enſe meas?

LXXXIX.

LXXXIX.

In Gryphem, dum IOANNES CAROLVS CHODKEVICIVS, aliquot relictis cohortibus in Moscouiâ, ad regni Comitia abiret.

VIderat Hyrcanis Moscouia Grypha pruinis
Ad Litauum tandem vertere rostra solum:
Ille ferus Gryphs, inquit, abit; nil Ense nocebit,
Non ales rostro, non petet vngue Leo.
Non est, cur à te, quòd flexerit ora, triumphes:
A tergo longa est cauda relicta: Caue.

XC.

In duas Sagittas terræ cæloque obuersas.

Stemma Ill^mi EVSTACHII VOLLOVICII Præsulis Vilnensis.

BIsgeminos Petrus CHRISTO *monstrauerat enses,*
Vrbs raperet captum cùm Solymæa Deum.
Ferre cruentandum, clementia lumina, ferrum,
Ferre necaturas non potuêre manus.
Vltrices maiora manus tamen ausa parabant,
Vt tandem CHRISTVS *dixerit, esse satis.*
O si tunc geminas monstrasses, Petre, sagittas,
Quàm meritò CHRISTVS *diceret esse satis!*

XCI.

XCI.

In duas eaſdem Sagittas.

Alluſio in *Cant.* 4.

In vno oculorum, & in vno crine colli.

VIrgilius quondam, Telum facit Ira, canebat:
Tela facit, meliùs ſed ceciniſſet, Amor?
Eſt oculus Telum: diuino crinis Amori
Eſt Telum. quid non fingere poſſit Amor?
Eſt oculus, ſed qui ſuperas ſe tollit ad auras;
Eſt coma, deciduo quæ petit ima gradu.
Quis ſcit, an obuerſæ Cælo Terriſque Sagittæ,
Hæc oculus non ſit Præſulis, illa Coma?

XCII.

In eaſdem Sagittas.

ÆRis, & Argenti, & Ferri rude vulgus & Auri
Ibat ad Ætnæi iurgia fortè fori.
Lis fuerat, quorum poſſes, Vulcane, metallo
Digna VOLOVICIA *condere tela manu.*
Cauſſidicum vicit, Vulcano iudice, Ferrum,
Factáque ſunt forti Ferrea Tela viro.
Tum Faber ad ſocios operum: Sint Ferrea Tela,
Ipſe mihi VOLOVIC *aureus, inquit, erit.*

XCIII.

Ad Illuſtriſſimum HIERONYMVM VOLLOVICIVM, dum Samogitiam ingrederetur.

ISſe ſuas vt te Samogitia ſenſit in oras,
Luſerunt vitreo pulchra fluenta pede.
Florida feſtiuas agitarunt rura choreas,
Lætitiâ madidæ perſonuêre domus.
Ocyùs i Præſes: ſi fortè venire moraris,
Huc venient campi, flumina, rura, domus.

XCIV.

In Soleam tribus inſignitam Crucibus: Stemma Ill^mi & Reu^mi STANISLAI KISZCAE Præſulis Samogitiæ.

QVis tam concordi iunxit duo robora nexu?
Quis Soleam ſocias iußit habere Cruces?
An quia KISZCANAE *monſtrant inſignia gentis,*
Certatimque ſacro laudis honore nitent?
An quia calcari cupiunt, humileſque latere,
A Domino morem quem didicêre ſuo?
O celebres, humileſque nimis! magis inter honorem
Dum nituêre, latent: dum latuêre, nitent.

XCV.

XCV.

In tres eiuſdem Cruces, & tres Tubas.

KISZCA *tuas dum cerno Cruces, dum Claſſica cerno;*
Sollicitat mentem terror amorque meam.
Cerno Cruces? ignis ſancti me flammat Amoris;
Et dico: Mentis Crux medicina meæ eſt.
Cerno Tubas? timeo: Fors, inquam, bella parantur.
Sed cùm nulla ſonent prælia, rurſus amo.
Quid ſecura tuæ faciet Fiducia plebis,
O Præſul, ſi te diligit ipſe Timor?

XCVI.

In tres Tubas eiuſdem Reuerendiſſimi Præſulis coëuntes.

CAtholicos ſæuis dum prouocat Hæreſis armis,
Innumeris parent impia caſtra Tubis.
Hæc Batauam, canit hæc Scotam, canit illa Britannam,
Et diuerſa ſonat quolibet ore fides.
Non ſic Catholicas hortantur cornua turmas:
Vna fides ternâ conſonat ecce Tubâ:
Quæ tam concordi ſociantur claßica cornu,
Impia caſtra, Tubas creditis eſſe? Tuba eſt.

XCVII.

In Ensiferum Grypha:

Stemma IOANNIS CAROLI CHODKIEVICZ M. D. L. Supremi exercituum Ductoris.

Hic, qui supinos defluentibus plumis
Inuestit armos, & bicorporis plantæ
Effultus vngue rectus imminet cælo,
Et letiformi Marte præliaturus
Explorat ensem prouidus duellator,
Non Atticarum flexili chorearum
Proludit orbe, non rotatili plausu
Reciprocante verberat solum plantâ:
Cuniculosis non Amazonum siluis
Inhospitales Arcton appulit gressus.
Sed è tropæis lætus Imperatorum
CHODKEVICANAS *transmigrauit in ceras,*
Suisque clarum stemma laudibus fulsit.
Nunc ad Poloni Martis æreos cantus,
Tubæque gratum murmur exsoporatus,
Formidolosos ense fulminat Turcas.
Auertat isthinc peruicax Hetruscorum
Et Apulorum veritas Sacerdotum
Victoriarum nuntias coturnices,
Vates columbos, augureſque cornices.
En certiora, Magne Militum Ductor,
Gryphs Lechicorum signa dat Triumphorum:

Vt

Vt dum per auras fluctuante ſubſultu
Stat ludibundus, & velut theatrali
Pugil bipenne motat areâ ferrum,
Spectator ipſe neſciat, Tuum Grypha
An prælíantem cernat, an triumphantem?

XCVIII.

De BB. AGAPI & CHRONIA Virginibus & Martyribus, quæ ſorores ob CHRISTVM carcere maceratæ, poſteà in ignem miſſæ, ſed inuiolatæ, oratione ad CHRISTVM fusâ ad cælum euolarunt.

NIl iuuat includi tenebroſo carcere Diuas:
Te meliùs, cæco carcere, CHRISTE, vident.
Nil iuuat ignitis immergere membra caminis:
Ignoſcit caſto conſcia flamma pedi.
Compoſitis ambæ venerantur ſidera palmis,
Et ſociâ Superûm culmina mente petunt.
De flammâ carcer, de carcere flamma meretur:
Flamma ſoror, carcer frater vtrique fuit.

XCIX.

De S. LEONE Pontifice, qui ATTILAM Hunnorum Regem in Italiam cum copiis influentem monitu ſuo & oratione repreſſit.

ATTILA Pannonicis populatur cædibus Alpes:
Obuia magnanimus tendit in arma LEO.

Aduersâ gemini concurrunt fronte Leones,
Inde LEO *Dacus, Tuscus & inde* LEO.
Conscius ille sui, fera reppulit arma, furoris,
Nempe tuâ monitus maxime voce LEO.
O quem te memorem! quo Regem nomine dicam!
Ille LEO *raptor, tu* LEO *pastor eras.*

C.

De S. ARDELIONE, qui ex Mimo repentè Christianus effectus, sui testimonio sanguinis CHRISTVM confessus est.

ARDELIO *sacros deridet carmine ritus,*
Festáque non æquâ voce theatra quatit.
Audit Omnipotens: Non est opus, inquit, hiulco
Fulmine, tam facilem Gratia vince virum.
Deserit illa polos, & deserit iste theatrum,
Et tereti sacrum voluit in ense caput.
Sic sic, inquit, abit nostræ Comœdia vitæ:
Terra vale, cælum plaude, Tyranne feri.

CI.

De SS. BASILISSA & ANASTASIA, quæ sub NERONE, linguâ pedibusq; præcisis, percussæ gladio occubuerunt.

FOrtis ANASTASIAE *comes est* BASILISSA *sorori:*
Illa canit CHRISTVM *voce, nec ista tacet.*

Cæsa-

Cæsareas vtriusque sonus dum venit ad aures;
Vulnere lingua, simul pes vtriusque cadit.
Vtraque sponte genu sinuato vulnere curat,
Et te prociduo poplite CHRISTE *colit.*
Irasci CHRISTO *nescis improuide Cæsar!*
Quem tacuisse velis, sic coluisse iubes.

CII.

De S. APOLLONIO Senatore, qui lectâ pro CHRISTI Religione in Senatu Apologiâ gladio percussus est.

CReber APOLLONIVM *pronâ bibit aure Senator,*
Dum legit arcano nobile dogma libro.
Ætatemque canit CHRISTI; *sanctosque triumphos,*
Et stygiâ nuper capta tropæa domo.
Sed tamen insontem mulctat sententia Diuum,
Romanumque iubet tingere cæde forum.
Ne dubitate nouo Romani credere libro:
Mucro stylus, sanguis littera, Roma liber.

CIII.

De S. ADALBERTO Gnesnensi Archiepiscopo & Martyre, qui à Prussis lanceis remisque appetitus, pro CHRISTO fortiter occubuit.

SÆpè Tyras, ALBERTVS *ait, & sæpè Tibiscos:*
Istrum sæpè peto, nauigo sæpè Salam.
Ah quando tandem stellantia littora visam!
Ah quando certâ sidera puppe petam!

Dixerat,

Dixerat, & crudis Pruſſus dat vulnera contis,
Et creber remis pectora nauta quatit.
Vtere iam remis, & largum funde cruorem:
His remis, iſto flumine, viſe Polum.

CIV.

Puer IESVS totus deſiderabilis.

HYblæi rores, & Hymettia liba valete,
Pinguiaque Aſſyriis deflua mella fauis:
Me trahit ille ferax ſanctorum vultus amorum,
Ille verecundo viuus in ore pudor.
Cùm mea mens ſacræ ſatiatur imagine formæ,
In deſideriis paſcitur ipſa ſuis.
O IESV, mea ſola fames, mea ſola voluptas,
Quàm ſapis ipſe, tui ſi ſapit ipſa fames!

CV.

Vox dilecti mei.

AH ego tam liquidas ſurdus non audio voces?
Alter & infauſtâ cantus in aure ſonat?
Clamat, Ede, tellus. reſpondent æquora: Pota.
Vaſta ſitim faciunt æquora, terra famem.
Terra dehiſce, cauis areſcite flumina ripis:
Reſpuit & voces auris, & ora cibum.
Vt ſolo te, CHRISTE, frui poſſimque velimque,
Totus & os poſthac, totus & auris ero.

CVI.

Imago Sanctiſſimæ VIRGINIS PLANCO miſſa.

MIſi, PLANCE, tibi tenerum cum Matre puellum,
Deliciaſque meas, deliciaſque tuas.
Mittere nobilius, maius comprendere palmæ
Nil potuêre meæ, nil voluêre tuæ.
A me plura tamen ſi munera, PLANCE, requiris:
Non à me, à donis plura require meis.

CVII.

De plurimis CHRISTI Martyribus, qui naui vetuſtæ impoſiti, demerſi ſunt.

DEgenerem linquunt tenebroſi carceris vmbram,
Vt ſcandant fragilem maſcula turba ratem.
Sunt illic merces, plagæ; ſunt vota, rudentes;
Mors, pretium; virtus, prora; carina, ſalus;
Vincla, Fides; malus, pietas; ſuſpiria, venti;
Spes, velum; remus, gratia; rector, amor;
Tunc Deus, His ſi nauis, ait, mea cingitur armis,
Typhi tuam cælo deiice, mitte meam.

CVIII.

De PALMVLO adoleſcente ſanctiſſimo immaturè vitâ functo.

VIxiſti tibi, vixiſti quoque, PALMVLE, CHRISTO,
Longa tibi fuerat vita, breuiſque DEO.

Semper vixisti CHRISTO; *tibi*, PALMVLE, *rarò:*
Longa DEO *fuerat vita, breuisque tibi:*
Mortuus, es victurus: erit tua, PALMVLE, *vita*
Longa breuisque tibi, longa breuisque DEO.

CIX.

De S. SIMEONE STYLITA.

ESt, inquit, SIMEON *tellus mihi paruula punctum:*
Quis velit in puncto, CHRISTE, *mouere pedes?*
Ergo pedes posthac æternùm stabitis, inquit,
Ne tam parua meum semita fallat iter.
Constitit: & stanti trigesima vertitur ætas,
Quæ tandem merito contulit astra viro.
Si tibi terra fuit punctum, sint circulus astra:
Iam lato choreas plaude per astra gradu.

CX.

CHRISTI in Cruce vox, SITIO.

AH sitio, clamas, Princeps pulcherrime rerum:
Non habeo pro te dulcia vina, siti.
Tu tamen, Ah sitio, clamas: dabo pocula, Sponse:
Heu mihi! sed misto pocula felle dabo.
Hæc, mi Sponse, bibes: quæris cui fortè propines?
Ad me pro mundi, CHRISTE, *salute bibe.*

CXI.

CXI.

De S. IGNATIO Martyre, cuius in corde nomen IESV augustissimum aureis incisum litteris, post mortem inuentum.

AVrea in IGNATI *fulgent cognomina corde:*
Hic tua tu tecum nomina, CHRISTE, *locas.*
Sparserat effuso Martyr cor sanguine: de quo
Aurea te referens littera facta fuit.
Vnde potest fluuum mutari sanguis in aurum?
Sed tamen est sanguis Martyris: ergo potest.

CXII.

In gratiam MARTINI BADACH ex Vilnensi Academiâ in Germaniam proficiscentis.

SI te Theologum iudex audiret Aquinas,
Ingenium Thomas diceret esse suum.
Si te Oratorem facundo Tullius ore
Audiret, linguam diceret esse suam.
Quæ tua sunt, si fortè, BADACH, *tua dixeris esse;*
Ingenio Thomas, Tullius ore caret.

CXIII.

In tres Tubas, Stemma IOANNIS RVDOMINA Equitis Lithuani.

TRes nuper Diuæ, Bellona, Diana, Thalia
De RVDOMINAEIS *dimicuêre Tubis.*

Noſtra Tuba eſt, Bellona inquit, Tuba noſtra, Diana, eſt:
Hæc, inquit, potiùs noſtra, Thalia, Tuba eſt.
Audiit & Getico Mauors ſubriſit ab Hæmo,
Nil mihi cum veſtris, numina docta, Tubis.
Veſtra Tuba eſt Bellona, inquit, Tuba veſtra Diana eſt,
Veſtra Thalia Tuba eſt, ſed RVDOMINA *meus.*

CXIV.

De morte CAESARIS N. qui ſcenicum dum luſtrat cælum, præceps inopino caſu ad theatrum datus exſpirauit.

VIuus vbi roſeum fulgor mentitur Olympum,
Et ſimulant viuas aurea tecta domos,
Picta renidentis dum luſtrat ſidera ſcenæ,
Atque alacres CAESAR *fertque refertque gradus;*
Pendula nitentes decepit bractea plantas,
Atque ſuâ quaſſum mole necauit onus.
Noxia Cæſaribus ſemper ſublimia: quiſquam
Ad ſuperos veniat CAESAR, *& inde ruet.*

CXV.

Idem loquitur de ſe.

FAlſa theatralis dum ſidera miror Olympi,
Vera mihi, dixi, ſidera pande DEVS.
Dum meus has LOIOLA *Pater modò cerneret oras,*
Putida, clamabat, quàm mihi ſordet humus!
O mihi,

O mihi tam pulchri reſerentur morte penates!
Vera mihi reſerat, dum loquor, aſtra DEVS.
At quia mors aberat cælo quæſita, cadendum
Ad terram nobis, vt moreremur, erat.

CXVI.

De eodem.

SCenica mentiti dum fortè palatia cæli,
Et dubio CAESAR *ſcanderet aſtra pede;*
Aurea quæ falſi ſimulauerat atria cæli,
Sciſſa ruinoſum tela fefellit iter.
Decepto ruit ille gradu; tragicique doloris
Ad ſua materies ipſe theatra redit:
Et IESVM *vocat ore. Pij ne flete ſodales,*
Non ruit ex aſtris CAESAR, *in aſtra ruit.*

CXVII.

De duplici SENECA: ad PAVLVM.

DE gemino SENECA *pugnat ſententia Vatum.*
Conueniet, ſi tu, PAVLE, *ſecundus eris.*

CXVIII.

In PHILIPPVM Rhetorem.

NOn poterat iuſſus tria dicere verba PHILIPPVS:
Si vultis cauſam noſſe, diſertus erat.

CXIX.

De nobili adoleſcente in feriis Bacchanalium miſerabiliter extincto.

Saltantes nuper mors viderat atra Lupercos,
Et ſe feſtiuis miſcuit ipſa choris,
Ebria perque domos ſaltabat perque plateas,
Morborum longo præueniente choro:
Hîc vni iuuenis dum fortè reſiſtere vellet,
Ebria non meritum meſſuit enſe caput.
Tollite de lautis iuuenes conuiuia menſis;
Quis ſcit, an ex veſtris non bibat illa ſcyphis?

FINIS.

AD

MATH. CASIM. SARBIEVII

E SOCIETATE IESV

LYRICORVM

LIBROS

EPICITHARISMA

SIVE

ERVDITORVM VIRORVM

AD

AVCTOREM

POEMATA.

AD

MAPH. CASIM. SARBIEVII

E SOCIETATE IESV

LYRICORVM

LIBROS

PRICITHARISMA

SIVE

ERVDITORVM VIRORVM

AD

AVCTOREM

POEMATA

SVMMI VIRI
MATHIÆ CASIMIRI SARBIEVI
E SOCIETATE IESV
INCOMPARABILEM MVSAM
ERYCIVS PVTEANVS
ADMIRATVR.

QVIS *Mysta Apollinis nouus? quis proximo*
Accedit VRBANVM *gradu,*
Threïssa doctæ fila carpens barbiti,
Et Pindari ciens melos?
Romanus ore, natione Sarmata,
Cultissimi vir ingenI,
Ab axe flammam frigido SARBIEVIVS,
A nocte lumen inuehens,
Vertit quadrigas orbitâ Phœbi nouâ,
Niuesque mundi calfacit.
Aut sæcla barbaram exuunt æruginem,
Aut prisca redeunt sæcula.
Tantum potest, qui carmen aureum sonat,
Qui totus ipse est aureus;
Seuera pangens dogmata Sapientiæ,
Castosque sermonis iocos:
Qui mella spargit & salem SARBIEVIVS,
Generosi honesti semina.

Si dignitati mixta amœnitas iuuat,
Muſæque flores fructibus;
Ridere triſtem mente lætâ Palladem,
Ridere rugas dixerim.
Sic inter omnes præſtat vnus Sarmatas,
Inter Quirites Sarmata:
Vnus Latinâ Pindarum vates Lyrâ,
Et aliquid VRBANI *exprimit.*

Σπουδαίως ζῆν ἄξιον.

TERTIO
HORATIO ET SARBIVIO
LYRÆ LATINÆ
GEMINIS PRINCIPIBVS
PLAVDIT
MAXIMILIANVS HABBEQVIVS
E SOCIETATE IESV.
NVNC CAPIT REGNVM DVOS.

POrtenta Vatum! non patitur duos
Soles Olympus, ſtellifero licet
Atlante fultus; non amorum
Fert comites Hymenæus ardor.

Celſo

Celso Melampus Taygeti iugo
Venatus aprum, dentibus inuidis
Latransque frendensque inuolansque
Participes abigit molossos.
Clitumnus albam si videat bouem
Errare, tauri cornibus aduolant
In bella, riualisque pugnæ
Vulneribus fluuium cruentant.
Tædæ iugales, purpura Cæsarum,
Trophæa belli, dona Cupidinis,
Et ambitus cretati honoris
Diuiduos vetat ire fasceis.
Non fert secundum Cæsar, & æmulum
Pompeius odit; cum genero impius
Socer duellat; inuolant con-
sanguineis Aquilæ maniplis.
Fraterna Thebis funera dissident
Discorde busto. Sanguine tingeris,
O Roma, fratrum, quando primi
Cæde malâ maduêre muri.
Vnus subactâ Rex Asiâ potens
Dario habenas diuitis imperI
Secare Pellæus recusat:
Non animo satis orbis vnus.
OMNIS *Potestas impatiens furit,*
Consorte iuncto; Lætitiâ salit,
Consorte pulso, qualis ardet
In vacuo basiliscus antro.

Portenta Vatum! nunc patitur duos
Reges bisulco vertice Phocidos
Parnassus; & Reges Latinæ
Sceptra Lyræ gemini tenebunt:
Unus sonantem natus ad Ausidum,
Alter rigentis margine Vistulæ.
Ter euge, Castor, euge, Pollux;
Vos Gemini, puerique Ledæ
Alterna vitæ fata rependitis:
Polluce, Castor; Castore, Castore
Pollux beatus! regna Cæli
Unanimes secuêre fratres.
HORATIANAM SARBIVIVS *Lyram*
Regnante dextrâ tradit & accipit;
HORATIVS *gaudet teneri*
SARBIVIO *sua regna* PLECTRO.
AVGVSTVS, *vnum Numen* HORATIO;
VRBANVS, *alter* SARBIVIO *Deus:*
Hos BARBITI REGES *adorant*
Ad numeros saliente chordâ.
Quantùm profanis sacra super-volant;
Minore maior CAESARE PONTIFEX;
VRBANVS, AVGVSTO: *triumphat*
SARBIVIVS *meliore lauru.*

IOAN-

IOANNIS TOLENARII
E SOCIETATE IESV
AD
MATH. CASIMIRVM SARBIEVIVM
S. THEOLOGIÆ PROFESSOREM
O D E.

FAllor? Sarmaticis an nouus arbiter
Plectri ſiluicolis carmina diuidens
Per confinia Thracum
Terris reddidit Orphea?
Quiſnam Pegaſeæ crederet vngulæ
Potandos latices gurgite Viliæ?
Quis Teumeſſia Tempe
Propter ſtagna Boryſthenis,
Et vatum Aonium delicias nemus
Florens ſub gelidæ plauſtro Erymanthidos?
Hæc miracula Phœbo,
SARBIEVI, *tua dat chelys.*
Cui nec prætulerit, quam Ogygijs vetus
Structis nobilitat fabula mœnibus,
Aut ad ſidera vectam
Coniux Euridices lyram:
Quamuis melliflui carminis artifex
Auritas modulis duceret ilices,

Formaretque canendo
Siluæ monstra puerperæ.
Certè flexanimâ tu potior chely
Cunctis imperitas: & fide Teiâ
Torques mentis habenas,
Suadæ laude superbior.
Nam seu Pieriâ Martem acuis tubâ;
Ignescunt animi condere nubilo
Thressæ cornua lunæ,
Byzantîque securibus
Fœdatam Odrysio sanguine lauream
Disturbare manu: seu alite Hymettio,
VRBANIque tiarâ
Signas mellea sæcula;
Dum belli iaculis pungimur, vngimur
Doctrinæ liquido nectare, & efferi
Inter pila Gradiui
Hyblæis alimur fauis.
At quis te in Libanum proripit entheus
Ardor Castalidum, dissimilem tui?
Aut campos Galaadi, aut
Engaddi viridaria,
Sponsæ delicias dum Sulamitidis
Plectro sollicitas? O quibus auream
Ex hortis Heliconis
Sponsi cæsariem rosis
Cælestis decoras! vt fidium tenes
Miraclo attonitos, dum artifici lyrâ

Pontum

Pontum findis Erythræ,
Sternens Iſacidis iter!
Ni me, SARBIEVI, ludit amabilis
Error, depereat iam citharæ potens
Ieſſides tua plectra,
Ieſſæusque nepos tuis
Applaudat modulis. Me ſtupor occupat,
Inter Sauromatas dum Boreæ accolas
Doctæ Phocidis hortos
Efflореſcere conſpicor.
Has rerum ancipites eſſe reor vices.
Nec vernis ſtabilis floribus eſt honor:
Nec manſura perennis
Claris gloria gentibus.
Nunc terras roſei fax Hyperionis
Latè conſpicuis tollit honoribus:
Nunc caligine merſas
Nocturno ſepelit chao.
Quandoque & ſtudijs occiduas vices,
Excultiſque vehunt tempora gentibus:
Spelæiſque ferarum
Surgit lux ſapientiæ.
Quondam Niliacæ lumina Mempheos
Denſâ barbaries ſub nebulâ premit;
Nec iam Bellerophontis
Thebas nobilitat liquor.
Iam nudis Helicon fabula rupibus.
Quid Pandioniæ mœnia Palladis,

Excultı

Exculti orbis ocellum,
Doctrinæque ſacrarium
Perluſtro? Heu tenebris Cimmerijs latens,
Fatorum ſeries! nil reliquum exhibet
Tanti nominis vmbra,
Præter culmina ceſpitum.
Sic Fatis placitum. Sed benè, quòd nouo
Solatur radians lumine Carpates
Hæc diſpendia lucis:
Pimplæiſque opibus ſuum
Ditat nobiliùs Vilia gurgitem:
Et Pandionijs æmula honoribus
Geſtit Vilna Mineruam
Cælo tollere præſidem.
Certè dum Sophiæ Myſta ſacer fides
Docto, SARBIEVI, *pollice temperas;*
Nec facunda Lyceis
Pallas Sauromatum deeſt,
Nec cælo genitæ lux ſapientiæ:
Sed nec Pierij gloria verticis,
Nec, qui proluat ora
Vatum, Caſtalius latex.

IACO-

IACOBI HORTENSII
E SOCIETATE IESV
AD LYRAM
MATHIÆ CASIMIRI SARBIEVII
VRBANO VIII.
DEDICATAM.

ITe, & Romuleos inter resonate Quirites
Carmina Sarbiuiâ deproperata Lyrâ.
Ad noua septeni salient modulamina colles,
Tybris & auritas stare iubebit aquas.
VRBANVS que aliquid de Maiestate remittens
Ad pia reginas carmina mittet Apes.
His amat ille rosis & casto gramine pasci,
Otia pauca grauis dum sinit esse labor.
O te felicem nimiùm CASIMIRE *Poëtam!*
Sic tibi propensum qui CAPVT ORBIS *habes.*
Hunc Lyra non meruit Venusini Vatis honorem,
Non ita Dircæum Pindarus vrget ebur.
Hoc sciat Alcæus, digitos damnabit inertes;
Abdere se tenebris Lesbia Nympha volet.
Pierios dicent aliò fluxisse liquores;
Quin & Apes, sanctas carminis esse Deas.
Nobilis ô Vates! qui nectare potus ab illo
Permessum obscuri nominis esse facis.

Nam tibi nec Diuos ea ſuſcitat vnda furores,
Non Aganippææ gloria pulſat aquæ:
Sed Magnæ mellis fauêre ex æthere Matres,
VRBANI *que ſacros exhibuêre fauos.*
Sed Veri ſedes, & CHRISTO *proxima virtus*
Inſolitam docti Carminis afflat opem.
Eſſe quid hoc dicas, niſi Numinis igne calere,
Spiritibuſque DEI *ſollicitantis agi?*
Eſſe quid immodicos niſi ducere nectaris hauſtus,
Et ſibi præfixas non habuiſſe colos?
Grande tuæ ô pretium manſuraque gloria Muſæ,
VRBANI *poterunt cui tholus eſſe* PEDES!
At mihi ſi tanto fas quidquam appingere poſti,
Aut ſignare aliquâ pendula dona notâ;
In citharâ Eunomi aduolans cicada fractæ chordę vocem ſuppleuit. *Non ego pro chordâ tenuem cantare cicadam,*
Non aliud cupiam pectinis eſſe vice:
Sed fingam VRBANAS *illic ſua condere mella,*
Et dare pro cantu nobile murmur, Apes.
Picturæque breui ſubſcribam lemmate cauſam:
Tantus amor noſtræ eſt, gloria tanta Lyræ.

LVCÆ DIERIX
E SOC. IESV.

Paucula Mæonio meditabar ludere verſu,
Succinerem fidibus quæ CASIMIRE *tuis.*
Arripio longo diſtentos tempore neruos,
Filaque ſuſpenſæ puluerulenta lyræ.

Excu-

Excutio, tendo chordas, adduco, remitto,
Exploro dubios pectine & aure sonos:
At subitò malè compositis lyra dissona chordis
Sic mihi confuso est murmure visa queri:
Quid teretes tentas obtuso pollice neruos?
Desine nos humili sollicitare manu.
Musa CASIMIRI *altiùs altiùs extollenda est:*
Illius in laudes non satis ista chelys.
Nec tua sufficiet lyra Pindare, nec tua Flacce
Sufficiet, quantus dicere, quantus hic est.
Ipse sibi vates solus sibi sufficit vnus
Se capere, & solus se ceciniße potest.
Nil igitur CASIMIRE *canam: nam digna cani te*
Non possunt. dignè, tu potes, ipse cane.

IOANNIS BOLLANDI
E SOCIETATE IESV
AD
MATHIAM CASIM. SARBIEVIVM
PONTIFICIÆ POESIOS
IMITATOREM
ODE.

DEsueta pridem tendite barbita, &
Virente rursus cingite Laureâ

Frontem Camænæ. rursus, io!
Castalios feror in receßus.
Atqui vetuſto ſquallida puluere
Amor fuit defendere inertibus
Diuûm Acta blattis, inque Patrum
Ferre nouam monumenta lucem.
VRBANVS *hinc me* MAXIMVS OPTIMVS
Ad antra Cirrhæ, & Pegaſeos ſpecus
Reducit, & nouos calores
In gelidis animat medullis:
Dum quâ ruentis fata priùs manu
Suffulſit orbis, mox animat fides
Micante pulſu, quem ſecundo
Attonitus vehit amne Tibris;
Vltráque terras & maria & latus
Vtrumque mundi, ſolis & vltimi
Primíque limen, & remotas
Oceani emorientis oras,
Tuliße gaudet. En propior Polo
Quà flectit Arctos, Viſtula corniger
Muſæque cantu BARBERINAE
Perſonuit glaciale littus.
Noſter quòd iſthic ludit Horatius,
Quòd lapſa retrò ſæcula colligens,
Vocemque ſpiritumque Flacci
Pindarico iubet ire cantu;
Quòd inter Vrſæ frigus, & hiſpidæ
Telluris oras turbinibus graues,

Et grandinum ſonante fœtas
Progenie, CASIMIRVS, *auras*
Tepente Cælo prouocat igneas,
Terræque fibris promit aquas, quibus
Vel ipſe Muſarum bicornis
Gaudeat immaduiſſe Vertex;
Quòd ver beatum ſentit Hiems; nouo
Quòd victa cantu mollior incubat
Natura; quòd repentè nato
Germine luxuriantur horti;
Quòd mel, quòd vdo Pierium fluit
De fonte nectar; nectar amabili
Quòd rore ſudat; quòd vel vno
SARBIVII *lyra tacta neruo*
Quamuis feroces debilitat minas
Tumultuantum fortiter hoſtium,
Et arma bellorumque nubem
Pulueream meliore miſcet
Ludentis aurâ (ſi ſatis aſſequor
Quod augurando mens canit, enthea
Virtutis admirata numen)
Inde venit, APIS *vnde ſanctum*
VRBANA *nectar hauſit, & æmulo*
Horatianæ murmure tibiæ,
Terraſque miranteſque cælos
Attonuit. calor omnis illo
De fonte fluxit. numinis hos tui
Afflauit æſtus aura beatior

VRBANE, *dum ſacrata gentis*
Romuleæ iuga luſtrat hoſpes.
O quis volentem me quoque patrio
Exeſſe cælo, quis ſinat in tuos
Me ROMA BARBERINA *Colles*
SARBIVIO *comitem venire!*
Subſiſte Muſa, & vota decemplici
Subſtringe nodo. anguſtior eſt ſinus
Mentiſque virtutiſque noſtræ,
Quàm penitis queat vt medullis
VRBANIANVM *ducere ſpiritum.*
Vnius hoc eſt SARBIVII: *cui*
Impune *trans nubes* ſereno
Calliope dedit ire Cælo.

GILBERTI IONINI
E SOCIETATE IESV
AD
MATH. CASIM. SARBIEVIVM.

O *teſtudinis aureæ*
Qui fila ingenuo pollice temperas;
Et ſolis Rhodopes iugis,
Aut in Sarmaticæ littore Viſtulæ
Doctam ſollicitas chelyn,
Quam prono toties audiit alueo
Tibris defluere immemor;
Et ſeptemgeminis non ſemel extulit

Echo

Echo Romula montibus:
Seu mundi dominas Principis insulas
Dicentem audierat pari
Tantis ingenio laudibus, aut Apes
Cæli roribus ebrias,
Quæ curâ artifici mellea condiunt
Puro nectare sæcula;
VRBANI *arbitrio Lechica principem*
Cùm laurum meruit lyra.
Seu bellata graui pectine diceres
Septem-bella-trionibus;
Audacemque acies ducere Martio
Nigrum puluere Cæsarem, &
Gaudentem in mediis hostibus aspici:
Dum fatis melioribus
Iracunda parem dextra superbiam
Ferro vindice fulgurat.
Seu vinci faciles cedere Tartaros
Cogis indecori fugâ,
Dum victor rapido terga fugacium
SIGISMVNDVS *equo premit:*
Aut Lunæ Scythicæ sanguineum iubar
Formidabile Regibus,
Curuari facili circuitu vetat.
At quò te rapit insolens
Ardor fræna pati per vacuum æthera?
Dum cælo Sapientiam
In terras facili carmine deuocas,

Et

Et caligine patriâ
Celari cupidam non pateris, piè &
Præclarè temerarius.
Cantas ætherei tela Cupidinis,
Et quæ non dubiâ manu
Castis pectoribus vulnera destinat:
Et tædis melioribus
Mentes virgineas vrit; & aureâ
Certus figit arundine,
Extinguitque suis Idalias faces.
Nec cantus meretricios
Musas virgineâ ludere barbyto,
Et castis fidibus iubes:
Quæ toruâ trepidus fronte legat pudor;
Quæ velata Modestia,
Et verso iugulet pollice castitas.
Clari gloria Phasidos,
Nec vates patrio degener Orpheo,
Et plectro & fidibus potens
Monstrandus digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ
SARBIVI, *& Latiis fabula nobilis*
Enarrande nepotibus;
Dicam (Roma licet toruior audiat)
Nemo pectine Romulo
Tentauit citharæ fila decentiùs.
Vni cedis Horatio,
Qui Musas Latiis montibus intulit:

Et,

Et, ni aurem mihi vellicet
Iam præiudicio fama potentior,
Et cani capitis niue,
Marcentes rigido vertice laureas,
Et myrtum quatiens manu;
SARBIVI *fidibus, iudice me, tuis,*
Vates natus ad Ausidum,
Et primis citharæ cedat honoribus.

MICHAELIS MORTIERI
E SOCIETATE IESV
IAMBI.

VT illa prima ter beata sæcula
Pater Satorque Temporum
Ter inuidenda, ter dolenda, posteris
Sinu profudit vbere,
Diesque finxit & refinxit aureos
Sereniore laminâ;
Breui refugit, aureique germinis
Suäue messuit decus.
Et inde mixta mortis ære liuido,
Et obuoluta ferreo
Aheneoque plumbeoque vulnere,
Iêre retro sæcula.
Subinde læsa viliore surculo
Repullulare semina,

Solum rebelle ſenticeta prodere,
Luem maligna ſidera,
Venena gramen, inquinata turbidum
Paludis vnda poculum,
Feraſque ſilua, naufragoſque nauitas
Maris procella, grandinis
Flagella ventus, imbriumque lacrymæ
Quotidiana funera.
Jt annus alter altero nocentiùs
In omne degener nefas;
Et aura mentis aureâ propagine
Imago prima Numinis
Homo fit vmbra, fit propago plumbea,
Suoque nequior luto.
At omnis illa tam beata fauſtitas
Polo recepta creditur:
Soloque pulſa, ſpem fouere cælicam
Lutique dulce tædium;
Vel in canora commigraſſe culmina
Biuerticis ſacrarij;
Ibi crepante Pegaſi ſub vngulâ,
Meri fluenta Nectaris
Parens Apollo temperare Vatibus,
Dieſque ſemper aureos,
Et obſtinata non perire ſæcula
Lyrâ laborat aureâ.
Vbi nouena cum Parente Caſtalis
Inane murmur increpans

Ab amne pendet, & liquoris ebria
Suäue concinit melos;
Clientiumque labra fonte proluens
Poëticique ſpiritus
Furore complet, aureumque faucibus
Dat imbibiſſe ſæculum.
Paterna laurus ab loquace barbito
Perenne perſonat nemus,
Amœna fata, pura, læta grandiùs
Tonante præloquens comâ.
Sed hæc fuêre. namque ſicut aureum
Maligniore laminâ
Adulterantis æra prima germinis
Fremit perire ſæculum;
Iugum bicorne, flos & vmbra Daphnidis,
Et omne Phocidos nemus,
Et ipſe Phœbus, & nouena numina,
Et Hippocrena Pegaſi
Peraruêre. vix ſtetêre ſæculo
Horatiana tempora;
Sub hæc virebat, inclytoque promicans
Poëſis alma vertice
Decus perenne germinabat, integros
Apollinis vicario
Lyræ tenente ſpiritus Horatio.
Sed hoc repentè condito,
Suiſque ſubter abdito roſariis;
Sub occidente laureâ,

Sepulcra vatis implicare carduos,
Rubeta pullulaſcere,
Iacere nomen, interire gloriam
Biculminis palatij,
Et inter arma barbarumque militem
Situ pigro ſeneſcere,
Fidem rigere, lacrymare pectinem,
Chelyn ſilere cerneres.
Iêre luſtra, ferreique temporis
Iêre multa ſæcula.
Poëta nullus, aut Poëta barbarus,
Quid inter iſta ganniat?
At unus, alter, aut ſubinde tertius
Horatiana barbita
Paratragœdiante ſtrinxerit manu,
Cauo fragore turgidus,
Inane nomen ad lyram; quid obſtrepat?
Et hoc per aſtra circulo
Trecentieſque millieſque voluitur
Reuoluiturque Cynthius;
Suprema donec & polita vidimus,
Et erudita tempora;
Quibus rediſſe Pegaſo ſuus vigor,
Suuſque fontibus liquor,
Sororibuſque ter tribus ſuus decor,
Suuſque laureæ color,
Suuſque mille mille Vatibus calor,
Perennitaſque credita;

Et eliquante iam ſtupore plumbeo
Nihil morante ferrei
Furore Martis, æneoque verbere,
Dies notantur aurei.
Per arma regnat, horridoſque turbines
Salus amœna temperat;
Per arma Belga, Batauos per impetus
Amica ducit otia;
Per arma Scaldis, aggereſque perfidos,
Moſæque vapulans latus;
Per arma Rhenus, heu! per arma decolor
Nouis probroſa cladibus;
Cruentus Iſter, impiumque ſanguine
Moſella vorticem trahens,
Cruore mixta, tabidiſque fluctibus
Fluenta Pegaſi vehunt,
Et entheata molliùs poëtico
Rigant calore pectora.
Per arma Gallus, & per arma Celtiber,
Per arma viuit Italus,
Et ingruentis hoſtici ſub ictibus
Canit vel ipſa prælia.
Et eſt Maronis, eſt cliens Horatij;
Habet Catullus aſſeclas;
Et erudita, caſta, blanda, viuida,
Cedroque digna carmina,
Apolliniſque non pudenda barbito,
Eburneoque pectini,

Et aureo ſuper futura ſæculo
In omne ſæculum ſerunt.
Sed hæc nequiſſe, pro decore priſtino
Vetuſta pugnat æuitas,
Minore ſemper & minore diuidens
Fluenta prima riuulo.
Nouuſque nemo ſic Poëta natus eſt,
Vt illa priſca numina,
Horatijque Principem lyram pari
Secutus expleat lyrâ;
Sed impos artis, & canore diſſonus
Stylo vacillet impari.
Quod vnus ille (ſtringe liuor impetum,
Fremente dente ringere)
Quod vnus ille (viuat æuiternitas;
Io parate lauream,
Parate ſerta, myrteaque textile
Ligate lilium comâ)
Quod ille SARBIEVVS *vnus vnicus*
Libro peregit vnico.
Hic omne quidquid eſt Poëta vel fuit,
Metro volante tranſilit;
Horatioque, Pindaroque par (procul
Metu cadentis Icari)
Per ora currit, & per aſtra voluitur,
Superuolatque ſidera;
Polonus ille certus aridam nouo
Replere fonte Caſtalin;

Et

Et obſoleta nobilis Bimontij
Refabricare culmina;
Polonus ille per Borea frigora
Acinaceſque Thracicos,
Beata Veris atque Pacis otia
Perennè Vatibus nouans,
Per efferata Martis ære ſæcula
Dies reducit aureos.

IACOBI VVALLII
E SOC. IESV
ODE
AD LYRAM SARBIEVIANAM,

ſæpiùs EVROPAEOS PRINCIPES ad recuperandum ORIENTIS IMPERIVM animantem.

QVæ Martiales barbitos incitat
In arma turmas? quos ſtrepitus canit,
Bellique cauſſas? quas coïre
Principum amicitias, & enſes
Pingues amico ſanguine barbara
In terga verti iuſtiùs imperat?
An rurſus Alcæi minaces
Claſſica perſonuêre Muſæ?
Sceptrique & iræ Pittacus impotens
Vrbem inſolenti ſeruitio premit,

Sæuum-

Sæuumque detrectat superbi
Ferre iugum Mitylena regni?
Fallorne? tristi Luna Othomanidum
Pallescit vmbrâ: cornua contrahit:
Plenumque desperauit orbem,
Omne iubar minuente Vate.
Sic noctilucis pallida cornibus
Phœbe laborat, ter, Magicis sacris,
Spargente succos, terque Marsas
Canidiâ recinente voces.
Præsagus horror, quem Lyra Thracio
Incussit astro, sanguineas aquas
Pro rore sub noctem coëgit
Æmonijs fluitare cultis.
Tantisne credet posteritas minis
Natos in vsum lætitiæ modos
Feruere, vt augusti malignâ
Regum apices violentur vmbrâ?
Ite, ite, fortes, quò citharæ vocat
SARBIEVIANAE *clangor amabilis:*
Ite, & triumphatis Idumes
Ad numeros volitate campis.
Non molle quiddam, non quod Ionicis
Aptum choreis, auribus accinunt:
Docent in aduersas phalangas
Ferre pedem benè temperatum.
Ordo, Gradiui neruus, aheneas
Stringit cateruas. Ite canentibus

Plectris

Plectris, Quirites: ordinatos
Fila regent numerosa gressus.
Lycurgus olim sic Lacedæmone
Pugnæ imminentis signa dedit lyrâ:
Et miles obseruans modorum
Ibat ouans, placidoque veros
Mortis timores carmine temperans,
Promptus ruebat pro patrijs focis
Per tela, confusasque strages,
Per cineres, per acuta belli.
Ite, ite: sancto puluere sordidos
Mauors coronis vestiet: hactenus
Nilique Iordanisque ripæ
Palmiferis viruêre siluis,
Vestrosque poscunt cædua vertices
Palmeta. Quin & barbita munere
Vestros adornabunt labores
Nobilibus potiore sertis.
Accendit omnes Martia buccina
Cantu: sed, eheu! non nisi funera,
Vocesque supremas cadentûm
Docta sono tenuare rauco.
At illa, quæ vos increpuit, lyra
Benè ominato signa receptui
Datura, vulgabit decorè
Vulnus hians, obitasque mortes.
Non solus olim lusit Olympicâ
Digno palæstrâ carmine Pindarus:

Est, qui Palæstinis subactis
Sacra pari canat arma laude.
Nec sola Dirce vidit Hymettijs
Thebana tingi labra liquoribus:
Apum Quirinarum labores
Obstupuit Tiberinus amnis,
Et hospitalem Vistula nectare
Madere ripam, quod sibi Romulâ
Stipauit VRBANVS *Tiarâ*
Mellifluos glomerante rores.
O magne Vates, ô Heliconidum
Mystes sororum, quem Deus incola
Musæque, securum pericli,
Pindaricos docuêre nisus;
Pars quanta laudum, mella liquentibus
Stillasse labris? pectoris alueo
Dues refundis mellis agmen,
Nectareaque ruens procellâ
Sonora vincis flumina, quæ Notus
Spumansque Nereus auxiliaribus
Dum iuuit vndis, versa secum
Tecta trahunt, pecudesque sorbent.
Talis superbos colligis impetus,
Altosque ripæ diruis obices
Effrænis, & fœdam Gelonis
Perniciem meditatus aruis.
I, perge, grandi mellifluos lyrâ
Deuolue fluctus. Mox vbi publicas

Implê-

Implêris aures, Martis ardor
Creſcet equis, equitumque turmis.
O quanta ſeruo reſtitues gregi
Emenda totis pilea ſarcinis!
Quot victor innectes Latinas
Argolico populo catenas!
Io, ter io! Si quid Apollinis
Diuina quercus fatidicum ſonat,
Veroſque præſagit triumphos
Vaticinis lyra tacta Muſis,
Dicentur olim Sarmaticæ fides
Viciſſe miſtas cum lituis tubas:
Credetur excantata Thracum
Luna tuo trepidaſſe plectro.

SIDRONII HOSCHII
E SOCIETATE IESV
AD
MATH. CASIM. SARBIEVIVM
ELEGIA.

ROmanæ fidicen citharæ, qui ſidera præpes
Viſis, & ignauam FLACCE *relinquis humum:*
Pace tuâ, quamuis nec certiùs alta Cleanthis,
Nec fuerit Samij lingua locuta ſenis;
Semita Dircæi non eſt tamen inuia cygni,
Iuit & hanc pennis repperit alter olor.

Nec minus est auræ, quà se leuat æmulus ales,
Nec spatio nubes inferiore secat.
Par abit, & forsan cursum sublimiùs vrget;
Et quò non potuit PINDARVS, *ille volat.*
Nec malè ceratis ad sidera nititur alis,
Nec dabit æquoreis flebile nomen aquis.
Ætherias animas testor, Zephyrosque, Notosque,
Et quæcumque sacros detulit aura modos:
Si tua, SARBIEVI, *sperasset carmina (quale*
Non fieri meritò posse putauit opus)
Pindaricas laudes pressisset HORATIVS; *& tu*
Materies illi, primaque cura fores.
Felix, credibili maior quem concitat ardor;
Iudicium superas Vatis & Orbis idem.
Non abit in peius semper vitiosior ætas,
Nec quamuis semel est ferrea, semper erit.
Se fugit hæc certè, priscumque recurrit in aurum.
Illa est carminibus gloria parta tuis.
Hæc ego vos, Musæ, vestroque in monte virentes
Iam pridem lauros edidicisse reor.
Hæc vbi cantantur, nec saxa, nec æquora surda,
Nec sunt indomitæ turba timenda feræ.
Vos eritis testes Getico sub sidere cautes,
Quique Lycaonio Ponte sub axe iaces.
At neque sola videt properare POLONIA *rupes,*
Mirantésve tenet VISTVLA *solus aquas:*
Et Rhodope, & scopulis veniunt plaudentibus Alpes,
Nullaque non montes gens videt ire suos.

Hæc

Hæc Rhodanumq; Padumq; tenent, & carmina Rhenum
Oblitos notas, vt priùs, ire vias.
Hæsit sæpè Tagus, fluuaque recliuis in vrnâ
Dixit: Eunt auro puriùs illa meo.
Sæpè aliquis nullâ vates hæc legit in vmbrâ,
Et circùm viridis protinus vmbra stetit.
Cui licet, hæc gelidâ nemorum securus in vmbrâ;
BELGA *sed heu! lituos inter & arma sonat.*
Si sic in patrijs cantasset montibus Orpheus,
Cum siluis meliùs saxa secuta forent.
Promptiùs Aoniam lapis ascendisset in arcem,
Euectus numeris, magne Poëta, tuis.
O quantò Delphin perniciùs ille natasset
Per mare, tam blandæ raptus amore lyræ!
Hæc animum certè mihi sic demulcet, vt illum
Auferat, & memorem non sinat esse sui.
Sæpè fui, ceu vaticinans, aliena locutus,
Et fuit abrepti carmen in ore tuum.
Sæpè locuturus diuturna silentia feci,
Aut tenuit medios lingua repentè sonos.
Mens abit, & subitò tacitum mirantur amici;
Me rapiunt numeri, cygne canore, tui.
Siue iubes in Threïcium capere arma tyrannum,
Pænè minax digitis sumitur hasta meis.
Siue super nubes sublimis & æthera tendis,
Sollicitat nostros protinus aura pedes.
Siue per Ausonios spatiaris lauriger hortos,
Me Zephyri & Floræ regna subire puto.

Seu mœrente canis teſtudine flebile carmen,
Palleo, nec fletu lumina noſtra carent.
Seu triſtes hilari ſolaris pectine curas,
Defluit ex animo cura dolorque meo.
Siue pios caſtæ ſuſpiras mentis amores,
Vrimur, ardentes ſunt tua verba faces.
Denique me formas ſubitò conuertit in omnes
Qualiſcumque operis pagina lecta tui.
Hoc eſt & volucres cantu, fluuioſque morari,
Hoc eſt aëriâ ducere ſaxa viâ.
Hoc eſt fulmineas auferre leonibus iras,
Hoc agnis rabidos conciliare lupos.
Pegaſides Diuæ, veſtro date debita Vati
Quæ poſſint Clarium ſerta decere Deum.
Quid precor? exiles lauro redimite poëtas;
Vos mihi, ſi merui, nectite ſerta Deæ.
Nam tua, SARBIEVI, *cùm ſiluæ plectra ſequantur,*
Ad crines properat laurea ſponte tuos.

NICOLAI KMICII
E SOCIETATE IESV
DITHYRAMBVS.

NAm me quis melior corripiat calor?
Iam tollor Ales trans liquidum æthera,
Caniſque præter nubibus hiſpidas
Sublimis oras, irretorto
Splendidè pernix oculo, reuolui

Immo-

Immodicum gyrabilis orbis
Cryſtallum adſpicio; nec piger impetus
Ardor in celſas vehit vſque ſedes,
Abiungitque animum corporeæ morâ
Molis, & pennas timidas reſolui
Inſolitâ ſubter leuat aurâ.
Vt volui placidi ſedulus ætheris
Tranquillas vigilum Currus in ignibus
Siderum rotas agit!
Audimus? an nos ludit amantium
Ignium cantus? ſolidos ad orbes
Nam repercuſſo recinit iocoſa
Rurſus imago.
Audimus? reſonant carmina non priùs
Accepta æthereis choris.
At quò perpetuis aurea ſedibus
Sidera migrant! nec labor, vltrò
Sequitur rapidum temo Booten.
Iamque & Virgo venit vecta curulibus
Quæ niueis flauam digitis exertat ariſtam,
Vberis neque impotens
Nec parca glebæ, aut dulce nitentium
Florum, quos Siculis fœta Fauoniis
Hyblæ iugera nutriunt.
Illam mellilegæ cælibe murmure
Adſtipant animæ, & ſuauibus attonant
Circùm ſuſurris, & loquace
VRBANVM *repetunt voce, per aureos*

Atlan-

Atlantis orbes, atque volumina
Machinæ decemplicis.
En Herculei ſtella leonis
Superbiore concutit flammas iubâ
Magnumque ſpirat Sarmatici decus
PRINCIPIS, *& profugam repulſi*
Cynthiam Thracis, viduaſque cæſi
Concani amiſſis pharetras ſagittis.
Quis ille toruas fronte iacit minas
Semifer, & veterem ſeruat ſub pectore Achillem,
Altaque quondam quos monitus dedit
Secum reuoluit mente; per improbum
Vt mundum armigeram circumagat ratem
Immunis, & fati doloſas
Effugiat ſine lite Syrtes.
At vos minorum lumina gentium
Plebeſque haud humilis beati
Imperij, ardentes reuocate denſarum
Vndas ſtellarum: venit ecce
Mauortis ignis, cuius ahenea
Fumant ingenuis arma vaporibus,
Et pulchra belli viuit in igneâ
Tempeſtas facie; vt iam capulo manus
Reſpirat, pronaſque ad Carmina porrigit aures,
Turbidùm lætatus, vt obſoletos
Rubiginoſi ſordibus otij
Dardanos enſes reuocari in orſus
Audit auitos.

Quis

Quis mirante Polo, quot properent faces,
Pulchroſque ſtellarum tumultus,
Dum trepidant, numero reponat?
Sequamur populos agglomerantium
Ignium. non hæc ſine deſtinatis
Gaudijs fiunt. trahit & ſequeſtras
Latente motu lampades voluptas.
Sæpè dum pectus tacitis fatigant
Cupidines, & conſcij calores,
Prodidit murex inopinus oris.
Non ſolus orbes Aligeri impetus
Vrget, cadentis ſiue obitus ſuper,
Seu prima ad cunabula Solis:
Aſt incluſus Amor ſæpè decemplicem
Intus agit molem circùm verſatque ſequacem.
Eamus, aſtrorum alipedes choros,
Vtcumque labuntur, ſecuti.
Vt mihi percuſſis ſalierunt pectora fibris!
Quis hîc canoro barbito moratur
Detinetque ſidera?
Agnoſco voces, noſco ſonantium
SARBIEVII *errores digitorum,*
Pectinis & laudabile murmur.
Vt prona aſtrigeræ domus
Plebs aure arripiunt ſonos!
Et nixa auidis ſidera flammis
Conſumunt totas cantantis in ore medullas!
Vt ceruice ſiniſtrâ

Acclinis, melior Threïcij alite
Carminis, æthereos lyræ
Committit ignes, seu quibus Arbiter
Terræque Cælique ictus amabili
Longùm laborat in Charybdi:
Siue vt Virgineos Amor
Summâ parte animos nectaris imbuat,
Non erubescendasque flammas
Castis versat in ossibus.
O vatem nimium DEO!
O dulces strepitus, ô benè Cælitum
Gaudia digne Olor occupare!
Tibi seu citatus inter
Languescit Zephyrus flexanimas fides,
Seu bellicoso fortior æthere
Immugit sonus, aut clangit in auribus
Heroum, quoties aut adamantinum
Mauortem memoras, aut resides nouorum
In orsa bellorum resorbes;
Respondent tacitis sidera nutibus,
Incensoque magis vota cupidine
Sese in carmina porrigunt.
En APES *circum tibi* BARBERINAE
Tempora alludunt; tibi nectar omni
Abditum Cælo properant: sed illæ
Dulcius ore tuo lucrantur,
Tenduntque cellas vt sitientibus,
Mella sæculis noua,

Quêis

Quêis & æternæ ambrosiæ Deorum,
Et quæ minister Phryx puer æthere
Miscet capaci blandus amystide,
Deterioris
Damnata notæ Massica cedunt,
Iudice Mundo.
Hæ celso quoties cardine defluæ,
Innuptæ volucres nota Palatia
VRBANI *repetent, vt solitis suum*
Pontificem releuent susurris:
Latè dispositis ordinibus, super
Aut mixtam nebulis comam
Cupressum, aut vitreo margine fontium,
Per myrtos, per & aureas
Rosas, & calthas liliumque densum,
VRBANO *referent tuæ*
Quem citharæ addidicêre cantum.
Hîc ille, sudo dum fremit aëre
Mellita pubes, & repetit tuæ
Nectar Thaliæ, non Caleno
Sobrius accipitur Lyæo
Gratiùs. nullis ita feruet vuis
Candida Naxos alumna Bacchi,
Quas BARBERINVS *duceret vuido*
Nectare SARBIVII *priùs.*
Cedunt Eois intonatæ fluctibus
Conchiliorum deliciæ breues;
Cedunt & Afris quas alit in iugis

Benigna tellus alites,
Mulliique ſtultæ damna pecuniæ,
Et ſcarus fatuo pretioſus auro,
Quoties menſis accinet illis
Sarmata cycnus.
Audimus? (atræ cedite liuidi
Cocyti nebulæ, quas Notus inuidiæ
Halante Ditis de palude
Eductas, auidis obſtruit auribus.)
Audimus? vt iam pectine concita
Illa terrarum Superûmque cuſtos
MAIESTAS, *ſolio Vatem dignatur ab alto:*
Subſequi noſtras, ait, ô Poëta
Non piger chordas, faciliſque Cynthi
Suffeciſſe DEO, *fers medius gradum*
Noſtriique, Apolliniſque.
Seruabis ergo tu benè mutuis
Fidum pectus amoribus,
Pontificiſque & Vatis amicus
Æterna teges tempora lauro.
Vix ominato vox ea murmure
Vulgata totis diditur Italis,
Quà tauriformis Rhenus & Albula,
Quà ſerus vndas Bætis in æquora
Ibera voluit, nec paterno
VISTVLAE *ceſſat geminare nomen*
Fama Poëtæ.
Continuò ingentes animæ, decora alta, vel Tiaræ

Vel

Vel ſceptra paruo quos populo eximunt,
Venam benigni protinus ingenI,
Siue ille certis verba legibus liget,
Seu velit aureæ
Liberas linguæ reſerare ripas,
Attonito ſtupuêre ſenſu.
O Vates, placidos fortiter occupa
Portus. ô quid agis? iam noua puberis
Vulgi fluctuat vnda:
Tu mentis vltra culmen & ingenI
Euectus, expertuſque, raris
Auditum enarrabis ACVMEN.
Clamatur! auræ plauſibus aſſonant,
Plaudit totis Roma Lyceis.
O quos tunc tibi TARQVINI
Senſus de tacitis oſſibus eduxit anhelitu,
O quos ODDO *tibi?*
Quos tibi PETRVCCI, *quos* GODEFRIDE *tibi?*
Aut quiſquis Lechicum pronus in Orphea,
Et morum facilis, diues & ingenI?
Vtcumque pubes Romula nobiles
Ardet per artes, SARBIEVIVM *ſonat,*
Et ſibi ſæcula retrò,
Quæcumque magnis vatibus tumebant,
Seu ſale lætas ſpargere mentes,
Seu Leſboa lubet tendere barbita, &
Voce ciere viros, & pulchris funera in armis
Dicere, in vno Dardana pubes

SARBIEVIO *reuocata gaudet.*

Quis me tunc Italo sub Ioue poneret?
Vt magnos fremitus inter, & auspices
Clamores, aliquis tuus
Monstrarem pariter manu,
Quo Duce fontes petij Cyrrhæ,
Et præcipitis iuga Parnassi,
Longè antecedentem secutus.
Daphnides lauri, quibus impeditus
Aurea Vates tempora tollit;
Thespij montes, & amica Musis
Vnda Pimplæ, volucris Bellerophontis
Vngulâ excussi latices volante,
Quorum non expalluit haustus
SARBIEVIVS, *faciles colono*
Fauete vestro; quosque velit iugis
Sistere Pierijs, pronos submittite colles.
Ite florentes animæque magnæ
Passibus lætis, Iuuenes, patentem
Irrumpite audaces Heliconis arcem,
Doctarumque hederas præmia frontium
Vittasque lauri auellite postibus,
Assurgente choro Dearum.
Nunc tempus arcana Aonidum pede
Lustrare regna, atque irreuocabilem
Ætatis occasum, & facilem emori
Vitam, Pieridum sistere munere,
Et longum diffundere in æuum

Magni

Magni nominis Ortum.
At nos lentæ animæ, dum ſuper ardua
Mentis pennigeræ vos rapit impetus,
Et tantas Aquilæ ſubitis alas
Dantis ſe in ſpatia ætheris
Et liquidum per inane Cæli;
Seu molles Elegos littora ad hoſpita
Fingemus patrij fortè Boryſthenis,
Arguto Iberam ſeu ſale Bilbilim
Prouocabimus rudes:
Aut, ſi quando calor fortior incidet,
Simplici chordas quatiemus æſtro.
Vobis, dulcia pectora,
Seu manè Phœbus ſurget ab æquore,
Seu ſera laſſum Doris in humido
Componet oſtro, ritè vocabimus
In vota cælum, ne benè præpetem
Abrumpat mora curſum:
Ne Ductor Ales veſter in auias
Sublatus Auras, non ſine conſcio
Agmine, vel vitijs iniqui
Laboret aſtri, vel ſupino
Aëre deijciat caducas
Lentior alas.

GVILIELMI HESII
E SOCIETATE IESV
AD
MATHIÆ CASIMIRI SARBIEVII
VICTRICEM MVSAM
EMBLEMA.

Philomela inter lyræ fides mortua.

——ANIMATA CANENTEM
EXANIMAT——

CVm teneri Philomela comes placidiſſima veris
Dulcibus Auroram ſiſteret illecebris;
Et modò lenta trahens veluti ſuſpiria fleret,
Sorberet fractas garrula mox lacrymas;
Fortè ſub herbosâ recubans teſtudine Vates
Dicitur innocuas increpuiſſe fides.
Audijt has vicina canens Philomela canentes,
Cœpit & hîc primùm diſplicuiſſe ſibi.
Vt tamen auderet, cantu perſtabat inani
Cominus argutam ſollicitare lyram.
Iamque ſuſurrantum ſonitus imitatur aquarum,
Mox velut æratâ prouocat arma tubâ:
Deinde ſepulchrales ſingultit Præfica leſſos,
Carmine conciſas adnumerante preces.

Donec

Donec languida ſenſim & mortua ſuſpirando
Terruit attonitam lapſa repentè lyram.
Namque fides inter iucunda pericula quærens,
Concidit, & viſa eſt dicere, Cedo lyræ.
Hactenus hæc fuerit, non eſt modò fabula; poſtquam
Huc CASIMIRE *tuos detulit aura modos.*
Detulit, & toto ſiluerunt carmina Pindo,
Mœſtum neſcio quid viſa ſubinde queri.
Non equidem inuideo: nec ſi philomela ſuperſit,
Emeritæ cupiam bella mouere lyræ.
Et tamen hîc aliquid tenui protrudimus aurâ,
Et tamen audebo dicere ſi qua via eſt,
Si quis in hoc Phœbi tenuatur ſpiritus ore,
Si qua vel extremis vox agit in labijs,
Fundimus hîc; ſi fortè lyrâ moriamur in iſtâ,
Dulce mihi fuerit te modulante mori.

EIVSDEM IN MATHIÆ CASIMIRI SARBIEVII LYRAM NOVOS INCANTVS AB VRBANI VIII. PONT. MAX. GENTILITIIS APIBVS ANIMATAM EMBLEMA.

In tensis Lyræ fidibus tres Apes.

APES VITAM DANT ANIMOSQ. LYRÆ.

Dulias Aonium moriens sortita sepulchrum,
Liquerat in tensâ corpus inane lyrâ:
Mellifer en geminis exercitus aduolat alis;
Terna sed ante omnes accelerabat Apis.
Si benè perspexi, maioráque murmura sensi,
Rustica non fuit hæc turba, forensis erat:
*Nata sub-*VRBANO *fuit hæc feliciter orbe,*
Et tamen externam comis amare lyram.

Vix

Vix benè concussis volucrum trepidauerat alis,
Et tenui impulsu mouerat aura fides,
Jamque per incertos strepero cum murmure neruos
Ad numerum positis ibat Apis pedibus;
Ocyùs insonuêre fides, vocemque dedêre,
Carminaque ad lyricos accinuêre modos.
Res noua (per Musas) & numquam cognita dixi:
Phœbeum, dixi, numen habetis apes?
Vosque lyræ graciles, vos fila tenerrima nerui
Viuitis, & viuam cogitis esse fidem?
State, micate fides, apibusque sonate secundis,
Exsuperate meos, sæcula parua, dies,
Altera promerito donec Lyra credita cælo
Obscurum terris non sinat esse POLVM.

GVILIELMI BOELMANS
E SOCIETATE IESV
AD
MATH. CASIMIR. SARBIEVIVM
SACRI ADVERSVS TVRCAS BELLI
HORTATOREM.

AVdijmus? quænam illa alto generosa canôre
Aut Martis longè sonuit chelys, aut tuba Phœbi?
Audijmus? neque adhuc conspirat Gallia Ibero

Odryſias lacerare acies, atque impia Thracum
Agmina, & infandas ferro reſcindere lunas?
Non arma arripiunt? non telorum ærea campis
Biſtonijs latè riguit ſeges? at mihi dudum
Byzantî circum turreis, & mœnia Budæ
Circum, cannarum grando horrida ferratarum,
Et clamoſa gemant tormenta, tonantiaque æra.
Cur non Auſtriadumque aquilas, villoſque Philipporum
Auratos, Superi! miſtimque micantia cerno
Lilia? me miſerum! cur non Rhenoque Tagoque
Et Rhodano vecti vnanimes ventoſa per alta,
Oſtia Biſtonij cœnoſa irrumpimus Hebri,
Inque caput fractis curuatum cornibus amnem,
Trans Æmumque Iſtrumque Boriſtheneaſque procellas,
Sarmaticas vltra ferimus pia ſigna paludes?
O decus antiquum Byzantî! ô mœnia! & ô tu
Arx alta, Eoas latè regina per vrbeis!
Infelix, quæ te crudeli compede vinctam
Eripere, atque Italæ rurſum componere Romæ
Fortunata dies poterit? quæ dextra leuare
Seruitio? Voſque ô Solymæ, Iordaniaque arua!
Vos ſacri colles, ſiluæque, habitataque Diuis
Mœnia, diuino tellus dignata cruore!
Sed ſi tanta piget momenta inquirere rerum;
Debemuſne etiam fœdæ ludibria genti?
Prô pudor! opprobrium telluris, & impia magni
Proluuies Orbis, Cælique & Numinis ira
Dicimur, obſcœnique canes, damnataque turba.

Ipſe

Ipſe ego per Scythicas acies, CASIMIRE, *per arma,*
Ipſe per obſtanteis arcus, per ſæua Gelonûm
Spicula, per latos enſeis, per ſcuta, viroſque,
Viuidus, & pulchro leti inflammatus amore,
Parte aliquâ ante alios, quèis aſpera prælia curæ,
Deuicti Ditis tendens inſigne cruentum
(Dextrâ inſigne, hoſtem læuâ, mortemque laceſſens)
Par cuneo irrumpam, par Pellææque phalangi,
Flammiuomæ balliſtæ, & fulminis acrior igne.
Eueniat! tantùm cælo mihi ſpiritus almo
Suppeditet, nec Muſa mihi SARBIEVIA *deſit*
Iniectura faces animis, & nobile robur.
Non mihi, ſi circùm, quidquid videt Æmus, Hebruſque
Perluit, atque Hypanis, Strymonque & inhoſpita Neſſi
Flumina, Sithonias tendant inferre ſariſſas;
(Quamuis torua micent oculi, fronſque ærea; quamuis
Ora ſuper duplici facies ſtet ferrea barbâ,
Setarumque alæ ingenteis, rictuſque iubati;
Non ſi Barbarico cælum fremat omne tumultu,
Nec mihi ſi clamor terras & verberet aſtra)
Ora genáſve timor notet, aut præcordia tentet.
Martius intereà cælo calor influat oſſa,
Ingenteſque in bella animos SARBIEVIVS *addat,*
Et pauidum incuſet Pontum, & Neptunia ſegni
Æquora ſeruitium minùs indignarier æſtu;
Quod vinctæ Cyclades, quod mœret Achaica Tethys;
Æthiopumque domos nigras, quæque oppida Ganges
Præfluit, & cunctis captiuum Boſporon vndis;

Atque alia, Amosidæ, Solymæoque æmula Regi:
Tantum ardet, tantamque animo vim spirat ab alto.
Tu ne pone manu citharam, CASIMIRE, *nec vlla*
Cura vetet maior grandeis conuellere neruos,
Et sacra in diros accendere prælia Thracas.

IACOBI LIBENS
E SOCIETATE IESV
PARNASSVS BICEPS
POETIS BINIS
HORATIO ET SARBIEVIO.

Fortè leuem viridi captabam cespite somnum,
Quem facilem ventus lenis & vmbra dabant;
Cùm mihi Apollineis visus consistere campis,
Hîc vbi bina sacris fons iuga lambit aquis.
Culmine sublimis cantabat HORATIVS *vno;*
Colle nec opposito qui resideret erat.
O ego! Calliope votum sed inutile risit:
Est meritis sedes celsior illa tuis.
Serpe humilis, tenuesque elegos inglorius imo
Pangere turbam inter sub pede montis ama.
Ille meus (læto respectans signat ocello
Lauricomum serto luxuriante caput:

Ibat

Ibat ouans celso, quisquis fuit ille, cothurno,
Iamque Venusino multa timendus erat:)
Ille meus superis Vates caput inseret astris;
Deque duobus apex qui vacat, huius apex.
Dixit. At ille celer superato colle parabat
Dulce locuturas sollicitare fides.
Et iam plectra mouens vocat in certamen Honoris
Fila Venusinæ non superanda lyræ.
Audieras; numeros neque spernere visus, HORATI,
Nobiliore animas æmula plectra sono.
Sic mediis certans philomela reciproca siluis
Ardet inexhaustum deproperare melos.
Laudis amor stimulabat, & artis conscia virtus,
Quæque aderat pressis turba nouena labris.
Arbiter ipse animos Phœbus tacito ore ministrans
Alternum purâ combibit arte melos.
Hic tonat Actiacos numero maiore triumphos:
Ille per audacis signa BOHEMA *Ducis,*
Per FERNANDEAS *acies, Aquilasque perennes*
AVSTRIADVM, *numero bellisonante volat.*
Alter & alter agros, siluas canit alter & alter:
Hic citò mutatis blandus, & ille, modis.
Arte pari teneros canit alter & alter amores;
Arte pares ambo, non & amore pares.
Flamma duellantes animos vorat æmula; neuter,
Quo dici possit nomine Victor, habet.
Donec colle pari geminos, in honore locauit
Pro paribus meritis Phœbus vtrumque pari.

Quàm benè diuiſi geminata cacumina montis!
Signarunt Vates ſcilicet illa duos.
Sic erat in fatis, annos quandoque daturos
Par Vatum paribus nobile verticibus.
Olim hoc fatidicus præuiderat augur Apollo,
Hinc gemino montem duxit in aſtra iugo.

FACVLTAS
R. P. NICOLAI LANCICII
PRÆPOSITI PROVINCIALIS SOC. IESV
IN PROVINCIA LITHVANIÆ.

CVM Lyrica libro Quarto auctiora P. Mathiæ Casimiri Sarbieuski nostræ Societatis, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, potestate ad id mihi factâ ab admodum R. P. N. Mutio Vitelleſco Præposito nostro Generali facultatem concedo vt typis vulgentur. Vilnæ XI. Iulij, M. DC. XXXI.

Nicolaus Lancicius.

APPROBATIO.

HOS Lyricorum Libros quatuor, atque Epodon & Epigrammatum libros singulares, à R. P. Mathiâ Casimiro Sarbieuio artificiosè compositos, quia ad virtutis commendationem mirificè accommodatos video, prælo dignos censeo; vnà cum Eruditorum virorum ad Auctorem Poëmatibus.

Gaspar Estrix Plebanus & librorum Censor Antuerp.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII CÆSAREI SOCIETATI IESV CONCESSI.

CVM ex mandato Sacræ Cæsareæ Maiestatis omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, atque aliis quibuscumque librariam negotiationem exercentibus seriò strictéque inhibeatur, ne quis libros vllos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut edendos in posterum, intra S. R. I. Regnorumque & Dominiorum Sacræ Cæsareæ Maiestatis hereditariorum fines, simili alióve charactere aut formâ, siue in toto siue in parte excudere, vel recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impressos inuehere, vendere, aut distrahere clàm seu palàm citra supradictorum Patrum consensum ac testimonium audeat vel præsumat: ego Guilielmus de Wael, Societatis IESV per Prouinciam Flandro-Belgicam Præpositus Prouincialis, concedo Balthasari Moreto facultatem excudendi R. P. Mathiæ Casimiri Sarbieui Societatis nostrę Presbyteri Lyricorum Libros quatuor, è quibus tres priores variè nunc aucti & emendati sunt, quartus iam primùm accedit: eiusdemque Epodon & Epigrammatum Libros: & variorum ad Auctorem poëmata. In cuius rei fidem litteras manu meâ subscriptas, & sigillo officij mei munitas dedi, Ipris XI. Septemb. M. DC. XXXII.

Guilielmus de VVael.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum & Indiarum Regis Catholici ac Sereniſſimi Belgarum Principis Priuilegio cautum eſt, nequis *Mathiæ Caſimiri Sarbieuij Lyricorum Libros quatuor, Epodon Librum vnum, alterumque Epigrammatum*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra ſeptennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſos in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XVI. Septembris, M. DC. XXXII.

Signat.

Steenhuyſe.